DE METAMORPHOSEON

IN

SCHOLIIS VERGILIANIS FABULIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS LEUSCHKE
GERANUS

MARPURGI CHATTORUM
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI
MDCCCXCV

Dissertatio ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine probata pridie Kal. Augustas a. MDCCCXCV.

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

Inter scholia Vergiliana metamorphoseon fabulae non minus propter numerum quam propterea quod eiusdem modi sunt comparatae quasi una secreta provincia esse videntur. Praeterea maximam partem ita verbis Vergilianis adnexae sunt ut ad ipsa verba explicanda vix faciant. Atque hoc fit saepe ubi apud Vergilium arbor vel planta nominatur ut ex quo homine orta sit latius disseratur. Sic S [1])A I, 693 ad amaracum adnotat fabulam Amaraci, A III, 680 ad coniferas cyparissos Cyparissi, G II, 84 ad loton Loti, G II, 152 ad aconita Cerberi spumae in herbas mutatae; IA XI, 69 ad hyacinthum Hyacinthi, A II, 626 ad ornum Meliae, A III, 23 ad myrtum Myrenes, A III, 64 ad atram cypressum Cyparissi, A V, 72 ad maternam myrtum Adonidis, B V, 48 ad calamum Calami et Carpi, B VIII, 29 ad nucem Dionis, B VIII, 37 ad mala Meli;

PG II, 84 ad Idaeas cyparissos fabulam Cyparissi, B II, 48 ad narcissum Narcissi, G II, 152 ad aconita Cerberi spumae;

BB II, 47 ad narcissum fabulam Narcissi, G II, 84 ad loton Loti.

Idem fit ubi apud Vergilium memoratam legis bestiolam aliquam; ut SA I, 323 adnectitur maculosae lynci fabula Lynci regis, A III, 113 iunctis leonibus currui Magnae Matris fabula Hippomenis et Atalantes, A V, 128 mergo fabula Aesaci, G I, 403 noctuae fabula Nyctimones; IA I, 394 Iovis aliti fabula Aeti, A I, 430 api fabula Melissae, A IV, 254 mergo fabula Aesaci, A IV, 402 formicae Myrmecis fabula, A IV, 462 buboni fabula Ascalaphi;

PG III, 338 alcyonae fabula Ceycis et Alcyones. Et quod est magis mirabile IA I, 505 cum templi testudo a Vergilio commemo-

1) Ut brevis sim in dissertatione scholiorum Servianorum quae praebet recensio brevior littera S (= Servius), quae sola recensio amplior tradit (non quae et S et I exhibent) littera I (= interpolator), scholia Probi quae dicuntur littera P, scholia Bernensia littera B significabo. Ceterum doleo propter magnum numerum non nisi gravissima scholia ad verbum typis exprimi posse.

ratur, adnotationem facit de Chelone in bestiam transformata. Hoc certe est parum apte arcessitum!

Sed etiam aliis locis idem accidit. Si quis deus vel homo apud Vergilium legitur, afferunt scholiastae quomodo sit deus factus, vel quam vitam quemque habuerit exitum. Exempli causa haec appono: Cum Vergilius loquitur de Myrmidonibus, SA II, 7 exponit fabulam Myrmidonum; cum de Glauco, SG I, 437 fabulam Glauci; cum de Scylla, SA III, 420 Scyllae fabulam; cum de Portuno, SA V, 241 fabulam Inonis et Melicertae; cum de Phaedra, fabulam Hippolyti SA VI, 445; cum de Pane canente, SB II, 31 fabulam Panis et Syringos; cum de Scylla, IA III, 420 Scyllae fabulas; cum de Adonide pastore, IB X, 18 fabulam Adonidos; cum de Portuno, IA V, 241 fabulam Inonis et Melicertae; cum de Daphnide IB VIII, 68 fabulam Daphnidis; cum de Galatea, fabulam Galateae et Acidis IB VII, 37; cum de Glauco, PG I, 437 Glauci fabulam; cum de Adonide, PB X, 18 Adonidis fabulam; cum de Glauco, BG I, 437 fabulam Glauci; cum de Galatea VB VII, 37 fabulam Galateae et Acidis. Etiam cum quis locus apud Vergiliam occurrit, repente scholiasta advocat fabulas, quae cum hoc loco cohaerent. Sic ad mare tyrrhenum SA I, 67 narrat fabulam Dionysi et nautarum Tyrrhenorum, ad Antandrum SA III, 6 fabulam Polydori et Hecubae, ad Atlantem SA IV, 246 fabulam Atlantis et Persei, ad Delum SA III, 73 fabulam Asteries in coturnicem transfiguratae, ad Eridanum SA VI, 659 Phaethontis fabulam, ad Ardeam SA VII, 412 Ardeae fabulam; ad Atlantem IA IV, 246 Atlantis et Persei fabulam, ad Delum IA III, 73 fabulam Latonae in coturnicem transfiguratae, ad Pactolum aurum habentem IA X, 142 Midae fabulam. Atque alia multa.

Initium autem capiunt haec scholia his modis: Vulgaris est formula *fabula talis est*.

SA III, 73 fabula talis est, A III, 113 fabula talis est, A VI, 190 fabula talis est.

IA I, 505 de qua fabula talis est, A IV, 402 de qua fabula talis est, A IV, 469 de quo fabula talis est, B X, 18 et est de hoc fabula talis, B V, 48 fabula de calamo talis est.

Saepe huic formulae additur particula *sed* vel *autem*: SG I, 403 de hac autem talis est fabula; IA III, 64 fabula autem de cupresso

talis est, IA III, 73 fabula autem talis est, A V, 72 fabula autem talis est, A VI, 190 fabula autem talis est, A X, 142 sed Pactoli fabula talis est.

Simili modo dicitur SG III, 152 nota autem est fabula, A V, 241 nota est autem fabula, A VI, 659 fabula namque haec est, A I, 67 namque hoc habet fabula. Saepe etiam his formulis praemittitur *sane*: IA I, 394 sane de aquila est et alia fabula, A I, 430 sane fabula de apibus talis est, A III, 23 sane de myrto fabula talis est, A III, 91 fabula sane de lauro talis est, A III, 113 sane fabula talis est, A IV, 254 sane fabula de mergo talis est, B VI, 41 sane fabula talis est, B VII, 61 de hac sane arbore fabula talis est, B VIII, 29 sane fabula de nucis origine talis est, B VIII, 37 sane, unde melus graece traxerit nomen, fabula talis est.

Nonnullis locis *sane* solum ponitur: SB II, 47 sane ... fuerunt; IA XI, 69 sane Hyacinthus puer fuit, IA III, 420 sane alia Scylla.

Nonnullis locis fabula incipit a particula causali:

SA I, 67 namque hoc habet fabula, G I, 246 nam, A I, 489 quia, B III, 63 nam scimus, A III, 34 amadryades namque, A III, 34 nam ut Ovidius, A VI, 286 nam, B X, 4 varia enim opinio est: nam alii dicunt ... alii dicunt, A VI, 659 fabula namque haec est, A VI, 412 illud namque Ovidii, B II, 31 ergo Pan secundum fabulas amasse dicitur.

IA I, 751 quia.

PG I, 36 nam quod negat ... contra historiam refert, B X, 1 quoniam. His locis ubicunque intellegendum est „recte dicit poeta“ vel „propter hanc causam hoc dicit poeta quia“, ut nonnullis locis legitur:

SA IV, 246 bene ... nam, G IV, 247 ideo autem ait quod, IA IV, 246 bene ... nam dicit autem.

PB 3, 62 laurum ei gratam accipere debemus, quod ...

Persaepe deest particula aut formula et initium capit scholion — nonnunquam repetito ex lemmate nomine — a nomine eius de quo agitur. Exempli causa: SA I, 323 MACVLOSAE LYNCIS Lyncus rex Scythiae, fuit SG I, 20 ET TENERAM AB RADICE FERENS SILVANE C. Silvanus deus est silvarum.

A V, 128 A V, 823 A VI, 448 A VII, 761 A X, 189 B V, 10 B VI, 74 G I, 39 G II, 84 G I, 399.

IA III, 80.

PB II, 48 B III, 106 B VI, 78 B X, 18 G I, 60 G II, 152 G III, 92.

Nonnullis autem locis additur nomini proprio pronomen *hic*:

IA III, 80 REX ET SACERDOS hic Anius Apollinis filius, IB VIII, 68 DAPHNIN Hunc Daphnin.

Nonnullis locis pro nomine proprio ponitur solum pronomen ***hic***:

SB I, 693 AMARACVS hic puer regius unguentarius fuit, SG I, 437 GLAVCO hic piscator fuit, SA VI, 445 HIS PHAEDRAM haec filia fuit Minois, SA VII, 790 IO AVRO IN SIGNIBAT haec Inachi filia.

Nonnunquam additur etiam particula: SB VI, 78 TEREI ... Tereus autem rex Thracum fuit.

Aliae formulae, quae in initio usurpantur sunt hae:

SA I, 27 et spretae referunt ad Antigonam, G I, 246 hoc refertur ad fabulam nam, A II, 7 dicti autem sunt Myrmidones propter hanc causam, B X, 4 varia enim opinio est nam, G I, 378 fabula duplex est nam, A III, 694 haec secundum fabulas venatrix fuit, B II, 31 ergo Pan secundum fabulas amasse dicitur, A XI, 271 hoc loco nullus dubitat fabulae huius ordinem a Vergilio esse conversum: nam, IB X, 18 est etiam alter ordo huius fabulae, PG I, 138 vulgarem sequitur historiam, .. enim, G III, 146 meminit autem historiae hoc loco eius, quam Ovidius in I Metamorphoseon exposuit plene referens, G I, 36 nam quod negat .. contra historiam refert, G I, 399 varia est opinio harum volucrum originis.

Si vero addunt fabulae fabulam aut totam aut partem, utuntur verbis velut *alii dicunt* (SA III, 6 SA III, 680, IA I, 67 IA III, 80 IA III, 420 IG I, 67 IB VI, 78, BB III, 62) vel *alii tradunt* (SA III, 680) vel *quidam* (PB III, 106) vel *quidam dicunt* (IB VI, 74 IG III, 93 PG II, 84) vel *quidam volunt* (IB VI, 78) vel *quidam putant* (PG I, 20) vel *item aliter* (IA III, 73) vel *et aliter* (IG III, 122 IG III, 93 IG IV, 247).

Legis fabulas has:

De Dionyso et nautis Tyrrhenis	SA I, 67	IA I, 67		
De Antigone	SA I, 27			
De Lynco	SA I, 323			
De Aeto puero		IA I, 394		
De Melissa		IA I, 430		
De Chelone		IA I, 505		
De Amaraco	SA I, 693			
De Callisto	SG I, 138	IA I, 744	PG I, 138	
	SG I, 246	IG I, 67		BG I, 245
De Memnonidibus avibus		IA I, 751		
	SA I, 489	IA I, 489		

De Myrmidonibus	SA II,7	IA II,7		
De Io	SA VII,790	IA VII,790		
	SG III,152	IG III,153	PG III,146	
De Daphne	SB III,63	IA III,91	PB III,62	
		IA II,513		BB III,12
De Hyacintho	SB III,106		PB III,106	
	SA IX,433	IA XI,619		BB III,107
	SB III,63			BB III,63
De Melia		IA II,626		
De Hecuba	SA III,6			
De Erysichthone	SB X,62		PB X,62	BB X,62
	SA III,34			
De Cyparisso	SA III,680	IA III,64		
	SG I,20		PG II,84	BG I,20
	SB X,26			
De Asterie	SA III,73			
De Latona		IA III,73		
De Anio		IA III,80		
De Atalante	SA III,113	IA III,113		
	SB VI,61		PB VI,61	BB VI,61
De Glauco et Scylla	SA III,420	IA III,420		BB VI,77
	SB VI,74		PB VI,74	BB VI,74
De Glauco	SA V,823			
	SG I,437		PG I,437	BG I,437
De Scylla Nisi f.	SB VI,74	IB VI,74	PB VI,74	BB VI,74
De Arethusa	SA III,694			
	SB X,4		PB X,1	
De Atlante et Perseo	SA IV,246	IA IV,246		
De Aesaco	SA V,128	IA IV,254		
De Myrmece		IA IV,402		
De Pentheo		IA IV,469		
De Myrrha et Adonide		IA V,72		
		IB X,18		
De Ino et Melicerta	SA V,241	IA V,241	PG I,437	
De Caenide	SA VI,448			
De Phaethonte	SA X,189			
	SB VI,62	IB VI,62		BB VI,62
	SA VI,659			
De Pico et Pomona	SA VII,190			
De Ardea	SA VII,412			
De Hippolyto	SA VI,445			
	SA VII,761			
De Mida		IA X,142		
De avibus Diomedeis	SA XI,271			
De Syringe	SB II,31			
De Phyllide et Demophonte	SE V,10			BB V,10
De Daphnide		IB VIII,68		

De Carpo et Calamo		IB V, 48		
De Deucalione		IB VI, 41	PG I, 60	BB VI, 41
De Lycaone		IB VI, 41		
De Acide et Galatea	SB IX, 39	IB VII, 37		
De Procne et Philomela	SB VI, 78	IB VI, 78	PB VI, 78	BB IV, 78
		IB VI, 79	PG IV, 15	BB VI, 79
De Leuce		IB VII, 61		
De Dione		IB VIII, 29		
De Melo		IB VIII, 37		
De Latona Lyciisque rusticis	SG I, 378		PG I, 378	BG I, 378
De Nyctimone	SG I, 403			
De Loto	SG II, 84			
De Ceyce et Alcyone	SG I, 399		PG I, 399 PG III, 338	BG I, 399
De Philyra et Saturno	SG III, 93	IG III, 93	PG III, 92	BG III, 93
De Arachne	SG IV, 247	IG IV, 247	PG IV, 246	
De aconito	SG II, 152		PG II, 152	
De Narcisso	SB II, 47		PB II, 48	BB II, 47
De Ascalapho	SG I, 39	IA IV, 462	PG I, 36	

Omnes hae fabulae cum in universum congruant tamen in nonnullis fabulis narrandis unus alterve scholiastarum aut ampliora praebet aut nonnulla resecuit aut totam narratiunculam omisit, id quod ex enumeratione supra facta cognosces. Sic PG I, 437 breviter de Ino et Melicerta tractat, cum S et I latius rem narrent, et cum S leviter rem tangat Narcissi in florem mutati, PB II, 48 fabulam accurate exponit. Praeterea nonnullis locis unus e scholiastis aliam de eadem re fabulam vel particulam addit, quam alter praetermittit. Exempli gratia affero cupressi fabulam: de Cyparissa in cupressum mutata solus PG II, 84 tradit, de Silvano autem Cyparissi amatore solus SG I, 20 B X, 27 A III, 680, cum alii Apollinem exhibeant.

Nihilo setius his rebus minutis exceptis fabulae ita sunt comparatae, ut ad eundem fontem omnes redire verisimile sit. Maximum huius rei firmamentum peti potest ex ea re, quod diversa scholiorum corpora fabulas semper ad eundem Vergilii locum afferunt etiamsi non intellegatur quid ad Vergilium interpretandum velit fabula. Hanc rem ob eam causam tam multis testimoniis, quam cupio, probare non possum, quod praeter scholia Serviana et quae non in censum veniunt Veronensia [1]) ad Aeneida nobis scholia tradita non sunt. Tamen sunt

1) Ita se res habere cognosces si scholia Veronensia perlustraveris. V tribus solum locis tangit fabulas, quae ad metamorphosin pertinent: VA 5, 241:

mihi in promptu exempla. Cum Vergilius mentionem facit Myrmidonum, S et IA II, 7 ansam capiunt fabulam Myrmidonum ex formicis ortorum adferre. Cum Vergilius commemorat „coniferae cyparissi“, et S et IA III, 680 nonnullas fabulas de arbore ex homine orta adnotant. Ad A III, 420 quo loco invenis Scyllam monstrum, et S et I longiorem de amoribus eius et amatoribus tractatam adnectunt. Eodem modo ad durum Atlantem (A IV, 246) praebent S et I fabulam Atlantei horti et Persei. Ad G I, 437 ubi legitur nomen Glauci dei, et S et P et B narrant quomodo ex homine deus factus sit. Cum Vergilius commonefacit pastoris Adonidos, eius totam vitam inde a conceptione usque ad mortem I et PB X, 18 nos docent. Ubi apud Vergilium exstat narcissus, SB II, 47 PB II, 48 BB II, 47 Narcissi fabulam tradunt.

Qua quidem re non solum evincitur has fabulas omnes ad unum fontem redire, sed etiam hunc fontem fuisse commentarium ad Vergiliana carmina explicanda confectum. Quae res eo omni dubitatione eximitur quod compluriens conplurium narrationum eiusdem rei, quae olim exstabant, ea est electa quae cum Vergilio congruat.

Exempla haec sunt; initium faciendum est ex Caenidis fabula, quem SA VI, 448 ex viro iterum feminam factum esse post mortem docet. Legis autem apud Vergilium A VI, 448: *et iuvenis quondam, nunc femina Caeneus, rursus et in veterem fato revoluta figuram.* Neque est cur hoc ex loco sumptum esse neges, nam quamquam fabula apud Graecos saepe narratur, talis non nisi hic refertur.

In narranda fabula Atalantes omnes scholiastae uno consensu tradunt mala aurea quibus pellecta cum in cursu moraretur victa sit, ex Hesperidum horto fuisse. Et legis apud Vergilium B VI, 61 *tum canit Hesperidum miratam mala puellam*, unde Hesperidas in aliam fabulam inseruit. Quae sententia cum mihi magis arrideat, tamen, cum idem schol. Theocr. 3, 40 exhibeat, non plane refuto commentatorem loco Vergilii commotum ex duabus narrationibus, quae invenerat, Vergilio congruam elegisse.

Portunus ut Varro ait deus portuum portarumque praeses ... hunc Graeci Palaemona vocant. VB VII, 37: Nerei filia a Polyphemo cyclope adamata complexum eius evitans in mare se praecipitavit; sed utroque loco altero Inonis et Melicertae altero Acidis mutationem praetermittit. De tertia fabula Latonae infra dicam. Itaque censeo scholiastam V, cum conscriberet corpus scholiorum, compendium metamorphoseon non adhibuisse.

SB X, 4 alii dicunt ad Arethusam, nympham Siciliae, Alpheum *de* Elide venire per maria.

PB X, 1 Arethusa fons in Sicilia a quo musas videtur cognominare, quoniam Bucolica carmen Siculum vel quoniam amoris causa Alpheus, Pisae fluvius, per mare defluens in eum convenit. — Hanc totam narrationem ex Vergilio hausisse contendo, quamquam idem Strabo VI, 419 tradit, scholiastam SB X, 4 & PB X, 1 periphrasi quae dicitur referentem verba Vergiliana A III, 694 sqq.

Alpheum fama est huc Elidis amnem
occultas egisse vias supter mare qui nunc
ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Etiam in fabulam Hippolyti puto nonnulla ex Vergilio immixta esse. Apud SA VII, 761 solum legitur phocam precibus Thesei missam esse — excepto scholiasta ad Persium 6, 56 vetere. Itaque suspicor commentatorem aliquem Vergilium A VII, 780 (*quod litore currum et iuvenem monstris pavidi effudere marinis*) secutum monstra marina induxisse, quae quamquam recte intellegenda sunt taurus e mari egressus, tamen falso accepit commentator *phocam.* Quam rem scholiasta Persii firmare videtur, cum dicit *ut ei phocas id est vitulos marinos immitteret*, quibus verbis *monstra marina* Vergiliana explicare videtur. Haec duo scholia si comparaveris, non negabis ad unum fontem redire: hunc autem fontem etiam Persii scholiastae commentarium Vergilianum esse ne mireris, praeter verba scholiastae Persii, quae scholion Vergilianum redolent, commonefacio, per scholia Persii quot locis ad Vergilium respiciatur.

Praeterea de Hippolyto Virbio haec dicit scholiasta: „Sed Diana Hippolytum revocatum ab inferis in Aricia nymphae commendavit Egeriae et' eum Virbium, quasi bis virum iussit vocari". Egeriae nymphae commendatum esse Hippolytum ex Verg. A VII, 761 sqq. hauriri potuit, nam nemo nisi hic tradit. Apud Hyg. fab. 251 exstat „Hippolytus Thesei voluntate Dianae; qui postea Virbius est appellatus". Primus autem, quem quidem scimus, Vergilius Hippolytum eundem esse atque Virbium contendit A VII, 774: „at Trivia Hippolytum (769 Paeonis revocatum herbis et amore Dianae) secretis alma recondit sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat, solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum exigeret versoque ubi nomine Virbius esset".

Ex his verbis Vergilianis communem fontem, ad quem scholiastas Vergilii et Persii redire dixi, quaecunque de Hippolyto Virbio tradunt scholiastae, sumpsisse non crediderim, quamquam, quod solum apud scholiastas legis, Vergilio praetermittente, veriloquium Virbii (apud S *quasi bis vir* et; apud schol. Pers. *et Virbium vocavit merito quod bis in vitam prolatus esset*) sapit doctrinam grammaticam, itaque facile ab commentatore aliquo Vergilii additum esse potest. Sed ut cautius rem agam, existimo antiquum scholiastam Vergilii verbis Vergilii commotum ex alio fonte [1]) haec de Virbio inseruisse fabulae Hippolyti.

Omnes consentiunt scholiastae Iunonem Ioni oestrum misisse. Quaeris unde profectum sit: ex Vergilio fortasse, nam Georg. III 152 sq. exstant verba: „hoc quondam monstro horribilis exercuit iras Inachiae Iuno pestem meditata invencae“ [2]).

In fabula Phaethontis apparet Vergilium auctorem fuisse sororum in alnos vel in populos mutatarum. Legis enim SA X, 189 „huius interitum flentes sorores, Phaethusa et Lampetusa, deorum miseratione in arbores commutatae sunt, ut hic dicit in populos, ut in Bucolicis in alnos“ et SA VI, 659 „postea eius sorores flendo in populos versae sunt ut in decimo populos inter frondes umbramque sororum et hoc Vergilius: nam alii in alias arbores dicant“. Videsne, ut his locis scholiasta quasi palam professus sit se ita fecisse, ut supra dixi: se varias narrationes invenisse et ex eis elegisse, quae cum Vergilio consentirent.

Fortasse huc respicit etiam, quod infra demonstrabo de Philyrae fabula.

Una sola fabula eis, quae exposui, repugnare videtur: nam SA XI, 271 non Vergilii fabulam sed plane aliam de Diomedeis avibus narrat. Sed secutus est in hac re scriptorem, qui de Vergilio quomodo fabulas vulgares converterit scripsit, ut ipse dicit „hoc loco nullus dubitat fabulae huius ordinem a Vergilio esse conversum“.

---

1) Num hic fons redeat ad *αἴτιον* Callimacheum et consensus inter Vergilium et scholiastam ea re explicetur, quod alter sermone pedestri alter versibus Callimacheam narrationem retulerit, in medio relinquam. Cf. SA VII, 778: exponit *τὸ αἴτιον*: nam Callimachus scripsit *αἴτια*, in quibus etiam hoc commemorat.

2) Ceterum quid de hac re iudicandum sit vide quae infra docebo.

Elucet igitur scholiastas S, I, P, B ad unum fontem redire, ad unum commentarium Vergilianum, qui in fabulis narrandis et eligendis respexerit ad Vergilium ipsum. Sed probabile est etiam hunc commentatorem, quem iam scholiastam antiquum nominabo, non ipsum undique fabulas collegisse sed et ipsum sumpsisse ex uno fonte. Quae res evincitur ea re, quod omnes fabulao inter se omni modo simillimae sunt cum dictione et arte narrandi tum ipsa forma quae dicitur externa.

Atque nunc res gravissimas adferam:

1) In plerisque fabulis ad nomen mutati hominis addi solet arbos vel fera, quam Graeci ita, nos vel Latini ita dicunt. Age ipsa verba perlustra!

SA XI 271 hae aves hodieque latine Diomedeae vocantur, Graeci eas ἐρωδιοὺς dicunt; B IX, 39 qui hodieque latine Acilius dicitur; G I, 399 in aves marinas, quae alcyones vocantur; G II, 84 quae vulgo faba Syriaca dicitur; A III, 73 ut autem Delos primo Ortygia diceretur factum est a coturnice, quae graece ὄρτυξ vocatur; A IV, 246 sane latine Telamo dicitur ut Nilus Melo; A V, 241 Melicerta in Portunum, qui Graece Palaemon dicitur, Ino in matrem Matutam, quae Graecae dicitur Leucothea.

IA I, 394 quae .. ἀετὸς dicitur graece, a nobis aquila; A I, 430 latine autem μέλισσα apis dicitur; A I, 505 Chelonen in animal sui nominis vertit, quam nos latine testudinem dicimus; A III, 91 quae graece nomen suum retinuit, latine laurus dicitur; A III, 23 haec Myrtus graeco vocabulo Myrene vocitata est; A III, 73 mutavit eam in coturnicem, quae graece ὄρτυξ appellatur; B VIII, 29 in arborem sui nominis vertit, quae latine nux dicitur; B VIII, 37 meruit ut eius nomine aves μῆλα vocarentur, graece enim oves μῆλα appellantur.

BG II, 84 vulgo faba Syriaca; B VI, 74 in avem quae ciris dicitur, latine vero tonsilla conversa est.

PG I, 437 Melicertam autem ait Palaemona, quem quidam Portunum interpretantur; appellata mater Matuta graece Λευκοθέα.

VA 5, 241 Portunus .. hunc Graeci Palaemona vocant.

Non est cur has res, qui compendium composuit, ipsum addidisse non credamus. Qua ex re sequitur ut ad fontem indagandum ex talibus enuntiatis vel verbis auxilium capere non liceat.

2) Praeterea inveniuntur veriloquia eorum nominum, quae hominibus mutatis indita sunt.

SB V, 10 unde etiam φύλλα sunt dicta a Phyllide, quae antea πέταλα dicebantur; G II, 152 quae quia in saxis et cotibus nascitur aconitum dicitur ἀπὸ τῆς ἀκόνης id est a cote et dicimus τὸ ἀκόνιτον καὶ τὰ ἀκόνιτα.

IB IX, 39 Acilius dicitur ab illius (Acidis) nominis derivatione; A I, 394 quae ab ipso ἀετὸς dicitur, a nobis aquila propter aquilum colorem, qui ater est; B VIII, 37 meruit ut eius nomine (Meli) oves μῆλα vocarentur.

PG II, 152 aconita autem graece a cautis nomine dicuntur. Illa enim ἀκόνη appellatur; B VI, 74 Scylla in Cirim ut facinus etiam nomine declararet.

Quaeritur num has res addiderit scriptor compendii. Ad hoc enucleandum Ovidius nobis in auxilium vocandus est: is enim fabularum de quibus hic agitur, duabus veriloquium adfert in Ciridis fabula Met. VIII, 152

Ciris et a tonso est hoc nomen adepta capillo

et in aconiti fabula Met. VII, 418

Quae quia nascuntur dura vivacia caute
Agrestes aconita vocant.

Itaque concludendum, si non omnia veriloquia ex fonte iam sumpserit qui compendium scripsit, tamen nonnulla ex suo protulisse, nonnulla iam in fonte invenisse. Neque plane reiciendum est non demum, postquam fontem suum adhibuerit Ovidius, omnia talia immixta esse, sed iam ab initio ibi extitisse. Quae si vera sunt, ubicunque scholiastae talia veriloquia praebent Ovidio neglegente, etiamsi fabula in universum congruat, ea non ad Ovidium sed ad eius fontem referenda esse videtur.

3) Fortasse etiam huic scholiastarum fonti proprium erat ex vita factisque hominis deducere novam formam, in quam abiit homo. Sed res dubia est, nam ut Rhode Psyche 427,3 docet ad metamorphosin quadrat hominem mutatum et mentem et modum vivendi servare. Itaque etiam apud Nicandrum et apud Boeum invenitur (cf. Holland Heroenvögel p. 22). Exempla autem ex scholiastis collegi haec:

SA I, 323 feram varii coloris ut ipse variae mentis exstiterat; A III, 680 cupressum aptam et consecratam lacrimis et luctibus;

A III, 113 unde irata dea in leones eos convertit et suo currui subiugavit et praecepit ne secum unquam leones coirent; A IV, 128 cum hoc saepius faceret in avem versus est, quae ad imitationem quasi idem facit; G I, 403 in avem quae pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi.

IA I, 505 fecitque ut pro poena dorso tectum velut domum suam prona portaret; A III, 91 efficeretque ut propter virginitatem servatam semper vireret; A III, 23 eique quod sacerdos fuisset, praestitit, ut perpetuo et suavi odore gauderet; A III, 64 cuius ut extaret memoria, in luctuosam arborem id est cupressum mutatus est, quae defunctis adhibetur; A IV, 254 in mergum mutatus est quia semper mergi fluctibus gaudent; A V, 128 in avem versus est quae ad imitationem praecipitandi quasi idem facit saepe mergendo; A IV, 402 in formicam convertit eamque ut proditricem adversam frumentis, quae semper insequitur et subripit esse praecepit; A V, 72 florem qui nunquam vento decuti dicitur; G IV, 247 conversa est in hoc genus animalis quod aranea texit.

BG I, 143 in avem quae pro tanto facinore omnibus avibus *est* admirationi.

PB VI, 74 Scylla in Cirim ut facinus etiam nomine declararet; G II, 84 nec consilio a morte revocare poterat convertit in cypressum arborem luctuosam, ob eamque causam esse luctuosam cypressum; B III, 106 qui in se habet litteras AIA ut sit vox plorantis.

4) Praeterea occurrunt saepe eadem verba et coniunctiones verborum quasi formulae ad eandem sententiam exprimendam. Ut exempla afferam: homines miseratione dei vel deae, cuius nomen nonnunquam ascribitur, mutantur:

SB IX, 39 Galateae miseratione in fontem mutatus; G I, 399 miseratione Thetidis et Luciferi conversus est.

IB X, 18 miseratione Veneris in rosam conversum B V, 48 miseratione Iuppiter verti iussit; B VIII, 37 Venus misericordia eorum mortis ducta Melum vertit.

BG I, 399 Thetis miserata eos aves marinas fecit.

Saepe ponitur in universum miseratio deorum.

SA III, 680 flendo nimium misericordiam meruit deorum: A III, 694 deorum miseratione in fontem mutata; A V, 128 deorum miseratione versus est; A V, 241 voluntate numinum in deos versi sunt

A X, 189 deorum miseratione in arbores commutatae sunt; G I, 403 deorum voluntate conversa est; G I, 84 deorum miseratione in arborem versa; B VI, 74 deorum miseratione in avis mutatus est formam.

IA I, 751 miseratione deorum; A IV, 254 miseratione deorum in avem mergum mutatus est.

BG I, 403 deorum voluntate conversa est.

5) Quot homines dei misericordia mutant, tot dei irati:

SA I, 67 iratum numen tigres videri iussit; A I, 323 ob quam rem irata Ceres eum convertit; G I, 67 Iunonis ira transfiguratam; B III, 63 ab irata Borea interemptus et mutatus; A III, 113 unde irata dea eos convertit; A III, 420 irata Circe fontem infecit venenis: illa mutata est; B VI, 74 illa irata fontem infecit venenis; puella mutata est; A VII, 190 irata eum convertit; G I, 378 illa irata eos convertit.

IA III, 23 ob quam rem irata Venus virginem in myrtum arborem vertit; A IV, 402 quod cum proditum aegre tulisset, Minerva virginem convertit; A IV, 462 conversus est Ascalaphus ira Cereris; B VIII, 78 ab irata nympha in lapidem versus est.

PG I, 138 mutata ira Iunonis.

BB VI, 74 tunc Neptunus iratus mutavit.

6) Praeterea crebrum est homines vel vita defungi vel in formam abire aliam propter nimium dolorem, quo affecti sunt:

SA III, 6 flendo in canem conversa est; A III, 680 flendo nimium misericordiam meruit numinum; G I, 20 dolore extinctus; A VI, 659 sorores flendo in populos versae sunt; A X, 189 huius interitum flentes sorores in arbores commutatae sunt; qui, cum eum fleret extinctum, in avem conversus; A XI, 271 quem extinctum impatienter dolebant.

IA I, 751 cum eum nimium deflerent; A II, 626 cum luctu conficeretur; A III, 64 dum luget, neglecta consolatione Apollinis dolore consumptus; A X, 189 qui cum eum fleret extinctum, longo luctu in avem conversus.

BB VI, 62 cuius obitum dum deflerent, in arbores mutatae esse, quem flentes sorores in populos mutatae sunt.

PG II, 84 nec consilio a morte revocare poterat, convertit in arborem.

7) Is autem, cuius mortem quis deplorans mutatur, aut per ipsius aut alius ignorantiam interficitur: SA III, 680 per ignorantiam occidisset; G I, 20 nescius occidisset.

IA III, 64 imprudenter occidit.

BB VI, 62 per ignorantiam lapsus in Eridanum.

PG II, 84 ignarus traiecisset.

8) Homo aut puer aut virgo, duorum amantium cum alterum spernat alterum amet, ab illo, qui spretus est, irato commutatur:

SB III, 63 Hyacinthum amatum tam a Borea quam ab Apolline: qui cum magis Apollinis amore laetaretur; A III, 420 hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat, et quoniam pronior in Scyllam fuerat; B VI, 74 quam cum amaret Glaucus, dum ipse amaretur a Circe et eam contemneret; A VIII, 190 Picum amavit Pomona; postea Circe, cum eum amaret et sperneretur, irata eum convertit; B IX, 39 Cyclops amasse Galateam: quae cum Acin amaret et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necavit.

IA III, 420 a Glauco, cum sperneretur a Scylla, Circen rogatam et mutatam dicunt; A III, 420 a Neptuno amatam, cum illa Glaucum amaret, rivalitatis dolore mutatam; B VII, 37 nympha; quam cum Polyphemus adamasset, Acin, quem nympha diligebat; B VIII, 78 hunc igitur cum Nomia amaret et ille eam sperneret et Chimaeram potius sequeretur.

BB VI, 74 Scylla a Glauco deo adamata est. Sed a Circe, Solis filia, quae Glaucum adamaverat, transfiguratur; B VI, 74 Scylla a Glauco adamata est ... Circe vero rogantem Glaucum adamavit, sed, ne Scylla plus forte a Glauco amaretur, quam Circe.

9) Saepe in fuga mutatio fit; nam aut virgo vel puer adulescentem, qui eum amat, persequentem fugiens mutatur cf. SA III, 694 et diu fugiens in fontem mutata; B II, 31 quam cum sequeretur (sc. Pan) illa conversa est; G II, 84 quam cum Priapus persequeretur.

IA III, 91 cum eam insequeretur et illa fugiens defecisset lassata; A II, 518 eam ut comprimeret, insequeretur; A III, 680 (Cyparissus) ad montem Casium dicitur pervenisse atque ibi commutatus.

BB II, 31 quam dum persequeretur, versam esse; G II, 84 nympha Priapi amorem fugiens.

Aut, qui quid peccavit, ultorem fugiens mutatur:

IA V, 72 cum patrem insequentem fugeret, in arborem conversa est; B X, 18 filiam persequi cum gladio coepit; quae gravida confugit ibique mutata est; B VI, 78 quas cum Tereus insequeretur, omnes in aves mutati.

PB VI, 74 Nisus filiam necaturus persequebatur et demutati sunt in aves; B VI, 78 Tereus vindex persequebatur, sed omnes demutati.

BB VI, 74 Nisus in Haliaeetum, qui parricidii exsequens poenas Cirin hostili mente persequitur.

10) Deus virginem, quacum concumbit, adventum uxoris timens convertit: SA VII, 790 dum cum ea esset, Iuno supervenit; timens ille, ne deprehenderetur, Ionem mutavit; G III, 152 Io a Iove adventu Iunonis conversam; G III, 93 dum cum amata Philyra Saturnus coiret, Ops advenit, cuius praesentiam veritus se in equum convertit.

IG III, 93 Saturnus cum Philyram Oceani filiam in Thessalia adamasset et cum ea coiret, adventante uxore se in equum, illam in equam convertit.

11) Qui quam amat, primum precibus tum per vim concubitum appetit: IA III, 91 Daphne ab Apolline adamata. a qua cum precibus et promissis non potuisset Apollo, ut secum concumberet, impetrare, vim ei adhibere conatus est; B VII, 37 primum concubitum eius precibus expetivit, mox vim adhibere conatus.

12) Homo mutatur in avem vel arborem „sui nominis“: SB III, 63 mutatus in florem nominis sui; G I, 20 in arborem nominis eius vertit; A X, 189 qui in avem nominis sui conversus; B II, 47 in flores suorum nominum.

IA I, 394 quae ab ipso ἀετός dicitur; A I, 505 Chelonen in animal sui nominis vertit; A III, 91 quae Graece nomen retinuit (Daphne); A III, 694 in fontem sui nominis; B X, 18 mutata est in arborem nominis sui; A X, 189 in avem sui nominis; B VIII, 29 in arborem sui nominis vertit; B VIII, 37 Melum in pomum sui nominis vertit BG II, 84 in arborem sui nominis versa.

13) Nonnunquam pro nomine proprio bestiae in universum fera legitur: IA III, 680 feram credens; A IV, 469 feram esse existimans; A V, 241 dum eum feram credit.

14) Ex primo enuntiato plerumque praeter nomen etiam parentes eius, de quo agitur, discimus; tum demum narratio incipitur aut a pronomine relativo, aut a pronomine demonstrativo: cf. SG I, 138 Lycaon enim, rex Arcadiae, habuit filiam Callisto, quam; A VII, 790 haec Inachi filia, Argivorum fluminis, fuit. hanc; A III, 420 Scylla Phorci et Creteidos nymphae filia fuit. hanc; B VI, 74 altera vero Scylla fuit Nisi, Megarensium regis, filia, contra quos —. IG I, 67 alii Arcadem fuisse filium Callistus et Iovis dicunt. qui; A II, 513 Daphne, filia Ladonis, fluvii Arcadiae, et Terrae fuit, quae; A XI, 69 Hyacinthus puer fuit Eurotae. —

PB X, 18 Adonis Phoenicis et Alphesiboeae. hunc —. BB VI, 61 Hesperides Atlantis filiae, quae; G I, 437 Glaucus Polybi et Euboeae filius. hic...

Saepe additur, quo munere quis fungatur vel qua in arte quis versetur: SA I, 323 Lyncus rex Scythiae fuit, qui; A I, 693 hic puer regius unguentarius fuit, qui; G I, 20 Silvanus deus est silvarum. hic —. IA I, 744 haec autem Callisto fuit comes Dianae, quam; A III, 80 hic Anius Apollinis filius et sacerdos fuit qui —. PG II, 84 putant Boream fuisse Celtarum regem, qui; G I, 437 Glaucus autem deus maris est, qui —. BG I, 20 Deus silvarum, hic; G I, 437 Glaucus, Anthedonis filius, piscator, qui...

Tum saepe invenitur, unde quis ortus sit: SA V, 823 Glaucus Anthedonius piscator fuit. qui; G I, 437 hic piscator fuit de Anthedone civitate. qui...

Cognoscimus etiam, qualis quis sit: SB VI, 74 una Phorci et Creteidos filia pulcherrima, quam —. IA III, 23 haec Myrtus de plebe nata pulcherrima forma; A III, 680 alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum et castissimum fuisse, quem —. PB VI, 61 Atalantam, Schoenei filiam, virginem velocissimam multi petebant.

15) Saepe, siquis primum inducitur, pronomen *quidam* usurpatur: SB V, 20 Daphnin quendam pastorem, quem; G II, 84 Lotos nympha quaedam fuit, quam —. IA I, 430 apud Isthmon anus quaedam nomine Melissa fuit. hanc; AI, 505 virgo quaedam nomine Chelone linguae inpatientis fuit. verum; A IV, 254 Aesacus quidam puer nympha Alexirrhoe editus; A IV, 402 quaedam puella Myrmex nomine fuit, Minervae dilecta; B VIII, 37 Melus quidam in Delo insula ortus.

Quae omnia si perlustraveris, concedes conpendium metamorphoseon fuisse, ex quo scholiasta ille antiquus hauserit. A graeco viro docto hoc compositum esse, ut Knaackius Analecta Alexandrino-Romana p. 8, 10 voluit, evincitur ea re, quod magna pars veriloquiorum graecorum invenitur et graeca nomina, quibus postea addita sunt nomina latina. Utrum hoc compendium factum sit ad interpretanda metamorphoseon carmina Ovidiana et ex eis demum advocatum sit ad Vergilium, in medio relinquam [1]).

---

1) Num hodie exstet vestigium huius compendii, ad quam rem E. Maassium me convertisse grato animo profiteor, ambiguum est. Inveniuntur enim nonnullarum metamorphoseon exilia excerpta in codice Mediceo (apud Westermannum myth. gr. p. 437), quae contra Wilamowitzium E. Maassius ind. lect. Gryphisw.

Diserte nominantur in scholiis hi sermonis pedestris vel poetici scriptores

SB III, 106	Ovidius
SB X, 62	Ovidius
SA III, 34	Ovidius
SA VII, 412	Ovidius
SB V, 10	Ovidius
SG I, 378	Ovidius
IA III, 80	Palaephatus
PG III, 146	Ovidius in primo metamorphoseon
PB III, 62	Parthenius
PG II, 84	Asclepiades
PB X, 18	Hesiodus
	Antimachus
	Philostephanus
PG I, 60	Ovidius
PG I, 399	Ovidius; Nicander
	Ovidius; Theodorus
PB II, 48	Acusilaus (coniectura restitutus)
BB X, 62	Ovidius
BG I, 378	Ovidius
	Modestus

Iam inquiram, qua ratione in citandis testibus usus sit scholiasta Vergilianus.

Dicit SB III, 106: hyacinthus enim ubique nascitur flos, qui natus primo est de Hyacinthi sanguine, postea de Aiacis, sicut etiam Ovidius docet.

Cf. Ovid. met. X, 206 sqq. (verba Apollinis).

Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus et illud erit, quo se fortissimus heros

aestiv. 1894 non ex Ovidio in Graecum esse versa demonstravit. Quae pertinent ad scholia Vergiliana sunt haec: Argus, Syrinx, Cycnus, Nyctinome. Commemoro autem hic nobis easdem formulas occurrere, quas in scholiastis deprenhendimus:

1) Argus *κατ᾽ ἔλεον Ἥρας*, Corone *κατ᾽ ἔλεον Ἀθηνᾶς*, Nyctinome *κατ᾽ ἔλεον Ἀθηνᾶς εἰς γλαῦκα* mutatur.

2) Cycnus *διὰ τὸ Φαέθοντος πένθος* convertitur.

3) Coronen *εἰς τὸ ὁμώνυμον μετέβαλεν ὄρνεον*; Cycnus *εἰς τὸ ὁμώνυμον ὄρνεον* mutatur.

Addat in hunc florem folioque legatur eodem. —
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humo signaverat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phoebo est — is enim fuit auctor honoris —
Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AIAI
Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

et Ovid. met. XIII, 394 sqq.

Expulit ipse cruor (sc. Aiacis), rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de caespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis, haec nominis, illa querellae.

SA III, 34.	SB X, 62.	BB X, 62.
amadryades namque cum arboribus et nascuntur et pereunt: unde plerumque caesa arbore sanguis emanat. nam (ut) Ovidius ait cum Erysichthon arborem incideret primo sanguis effluxit postea ululatus secutus est.	Hamadryades: nymphae, quae cum arboribus et nascuntur et pereunt. qualis fuit illa, quam Erysichthon occidit. qui cum arborem incideret et vox inde erupit et sanguis sicut docet Ovidius.	Hamadryades: nymphae, quae cum arboribus nascuntur et, pereunt, qualis fuit illa, quam Erysichthon occidit, qui cum arborem intercideret et vox inde erupit et sanguis ut Ovidius docet.

Quam narrationem invenis apud Ovidium met. VIII, 762 sqq.

Cuius ut in trunco fecit manus impia vulnus
Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis ...
Redditus e medio sonus est cum robore talis.

PG I, 60 hominum genus ex lapidibus ortum esse recte Ovidius testis advocatur versibus:

Unde genus durum sumus experiensque laborum
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Ovidius met. XIV 573—580: Postquam Ardea urbs ab Aenea expugnata est, e cineribus evolat avis, cui idem nomen inditum est. S, qui A VII, 412 contra Ovidium se pugnare dicit, falso Hannibalis nomen pro Aenea ponit. Quod merus error scholiastae esse videtur, neque enim aliam esse narrationem accipiendum est, quoniam ab Hannibale Ardeam unquam hostiliter petitam esse non est notum.

SB V, 10 narrat Phyllidis fabulam et in fine exhibet verba „sic Ovidius in metamorphoseon libris“. Ac primum quidem erravit scholiasta, neque enim in metamorphosesin sed in Heroid. II hanc rem poeta tractat. Hic hoc fere traditur: Phyllis, Sithonis filia, regina Thracum, cum Demophontem, Thesei filium, hospitio accepisset, amore eius capta ab eo impetravit, ut se illam in matrimonium ducturum esse polliceretur. Atque cum, quam primum potuisset, Athenis, quo antea sibi classe vehi opus esset, se rediturum esse promisisset, illa diu reditum Demophontis exspectans sibi ipsa mortem consciscere cogitavit, qua in re etiam laqueo vitae finiendae mentionem fecit. Nunc, si placet, compara cum hac narratione quae leguntur apud SB V, 10. Consentit fabula usque ad mortem, sed Phyllidem in amygdalum mutatam, reditum Demophontis, Phyllidem folia emittentem, veriloquium φύλλων a Phyllide ubinam habes apud Ovidium? Itaque hoc totum ex Ovidio sumptum esse et scholiasta ipsum Ovidium adisse non potest. Immo coniciendum primo Ovidium in fonte testem earum rerum adhibitum esse, quae cum ipso consentiunt. Postea testem particulae ad totam fabulam translatum esse, metamorphoses autem sibi notas addidisse scholiastam. Hac in re igitur nobis idem occurrit, quod Eduardus Schwartzius praeclarissime docuit de testibus in scholiis Homericis Fleck. Jahrb. Suppl. XII in dissertatione, cui inscribitur de scholiis Homericis ad historiam fabularem pertinentibus.

Idem cadit in Ius fabulam:

PG III, 146: Meminit autem historiae hoc loco Vergilius eius, quam Ovidius in primo Metamorphoseon exposuit plene, referens Inachi filiam Io, compressam a Iove mutatam in vaccam, actam esse per orbem terrarum oestro, donec ad flumen Nilum venit, ubi mitigata Iunone finitus sit eius labor. Scholiasta abhorret ea re ab Ovidio furiam praebente, quod oestro dicit actam Ionem. Itaque ipsum Ovidium non legit, sed si in fonte totius narrationis testis exstabat Ovidius, aliunde immiscuit, ut te supra docui ex Vergilio ipso, sin autem partis alicuius testis adhibitus erat Ovidius, ex parte ad totam fabulam propagavit testimonium. Idem iudicium ferendum est de fabula Alcyones: PG I, 399: Varia est opinio harum volucrum originis. Itaque in altera sequitur Ovidius Nicandrum, in altera Theodorum. Putatur enim Ceyx, Luciferi filius, cum Alcyone, Aeoli filia, mutatus in has volucres. Idem refert Alcyonen, Scironis filiam, latronis

Attici, Polypemonis filii, cum pater ei praeciperet, ut quaereret maritum, arbitratam permissum sibi, ut concumberet cum quibus vellet, ab irato patre deiectam in mare, mutatam in hanc volucrem. Idcirco autem dilectas Thetidi dicit has aves, quod per septem dies, quibus excludunt foetus, in mari tranquillitas est, ut tuta sit navigatio. — Prima fabula, quam PG III, 338 accuratius exponit, („Alcyone filia Aeoli uxor Ceycis, quae cum viro naufragio amisso mutata est in aves alcyonas: cuius partus dum excluditur, septem diebus mare quietum est") legitur apud Ovid. met. XI, 410. Alterius fabulae, qua Ovidium Theodorum sequi dicit, haec tantum exhibet Ovidius VII, 401:

Innixamque novis neptem Polypemonis alis.

Quo tandem modo, quae narrat P, ex his paucis verbis sumi potuerunt? Nihilo setius contendit: *Idem* (sc. Ovidius) *refert.* Quare apparet non Ovidium sed aliquem libellum, in quo fabula Theodorea amplior legebatur, usurpatum esse ad hanc fabulam narrandam, tum eo quod exempli gratia ibi exstiterat „haec dicit Theodorus, quem Ovidius sequitur" perverso quae Theodori fabula est, Ovidio adscriptam esse.

SG I, 378 quamquam professus est se Ovidium sequi, hisce verbis orsus est fabulam Lyciorum rusticorum: ***nam ut Ovidius dicit, Ceres cum Proserpinam quaereret*** etc. Ubinam hoc scripsit Ovidius? Immo invenis Ovid. Met. VI, 317 Latonam Apolline et Diana gravidam rusticos mutasse. Conicias igitur duas narrationes unam Ovidii et nomen eius praebentem, alteram ab Ovidio abhorrentem exstitisse et falso nomen Ovidii retentum et diversam narrationem electam esse. Idem, quod S, praebet BG I, 378 sed addit: ***Modestus ait, Lycios pastores, qui Latonae sitienti aquam denegassent, in ranas conversos.*** Videsne ut res se habeat? Modestus sive eodem compendio, quo scholiastae reliqui, usus est sive Ovidium ipsum adiit, fabulam Ovidianam recte servaverat, quem secutus B vel eius fons errorem S vel eius fontis correxit.

Quod de Daphne PB III, 62 Parthenium dicere tradit, invenis apud Parth. c. 15.

Tredecim igitur inter viginti et duo testimonia possumus, quoniam scriptores soli Parthenius et Ovidius aetatem tulerunt, cum suis auctoribus comparare. Horum tredecim recte Parthenianum et Ovidii sex testimonia allata sunt, sex autem non recte.

Apparet igitur scholiastam antiquum Vergilianum Ovidium ipsum non inspexisse, nam id si fecisset, Ovidium testem compluriens falso non adhiberet.

Ut paucis repetam, quae disserendo assecuti sumus: Quondam homo doctus composuit compendium metamorphoseon, quo scholiasta quidam Vergilianus usus est nec tamen ipse legit Ovidium, cuius praeter nonnullos auctores antiquos saepissime in scholiis testimonium adfertur. Postea scholiasta illo antiquo intercedente in scholiastas, quos nunc habemus, fluxit compendium.

Si scholiasta Ovidium non legit ob eamque causam testimonia inseruisse non potest, iam in compendio ea exstitisse necesse est. Sed etiam in reliquis fabulis, ubi Ovidius non diserte nominatur, multa sunt simillima Ovidio. Itaque mihi proposui hoc loco inquirere in fabulas metamorphoseon apud scholiastas Vergilianos narratas, quo vinculo sint cum Ovidio coniunctae. Atque primum, si scholia exhibent Ovidio congruentem fabulam, factum esse potest, ut is, qui compendium composuit, aut ex Ovidio hauserit aut ex Ovidii fonte. Tum factum esse potest, ut singuli quique scholiastae ipsum Ovidium adierint. Ubi duo vel complures scholiastae fabulam Ovidianam habent, non singulos quosque Ovidium inspexisse apparet, sed hanc fabulam ex compendio suo sumpsisse. Ubi autem unus e scholiastis Ovidiana tradit, res dubia est. Videbimus apud omnes scholiastas hic vel illic fabulam Ovidianam vel frustula Ovidiana inveniri, quae apud ceteros non leguntur, itaque omnes ipsos Ovidium adiisse concluseris. Nec vero omnes hoc fecisse mihi verisimile videtur sed ne unum quidem hoc fecisse mihi arridet: immo etiam tum, qui Ovidiana praebet, ex compendio sumpsisse, ceteros autem vel neglegentia vel consulto omisisse.

Atque primum agam de eis scholiis, quae cum Ovidio consentiunt ita, ut tota ex eo sumpta esse possint.

Met. VIII 738—779 Erysichthon traditur ab Ovidio arborem cecidisse, quo facto primum sanguis erupisse tum sonus auditus esse. Hoc narrant SB X, 62 et A III, 34 et BB X, 62 omnes Ovidio allato, cum disserunt, quae sint hamadryades, id quod P solum praebet omissa Ovidiana historiola. Cum autem plane eandem rem Callimachus hymno VI exponat, sed de sanguine erumpente, cuius diserte mentionem faciunt scholiastae l. l., taceat, facere non possum, quin hanc

quidem narrationem in fontem scholiastae (id est in compendium) fluxisse censeam ex Ovidio ipso, praesertim cum Ovidius diserte nominetur.

De Callisto haec narrat Ovidius met. III 401—530: Callisto, Lycaonis filia et Dianae comes, cum a Iove, qui faciem Dianae induerat, compressa filium peperisset, a Iunone in ursam commutata est. Quam cum filius Arcas venans ipse telo transfigere vellet, Iuppiter filium et matrem inter sidera posuit. Qua re irata Iuno Tethyn et Oceanum, quorum erat alumna, ne in mare reciperentur, oravit. Totam hanc fabulam habes apud IA I, 744 et G I, 67 et apud PG I, 138, deest Iovis in Dianam conversio et quae ad Arcadem pertinent SG I, 138. Iunonem orasse Tethyn nutricem solum apud SG I, 246 exstat et apud Gaudentium BG I, 245 additis verbis *uxorem Oceani*. Hanc de Tethy narrationem Maassius l. l. ex latino epyllio sumptam esse credit. Qua re in medio relicta vides aut (Hyginum, apud quem exstant illi versus epyllii et) Ovidium et scholiastas redire ad eundem fontem aut quod praebent scholiastae decerptum esse ex Ovidio.

Reliquas narrationis particulas quamquam Franz Leipz. Stud. XII 1890 omnes, quaecunque apud Ovidium et scholiastas inveniuntur, evicit iam apud Alexandrinos exstitisse, tamen mirandum esset, si scholiastae aliquod compendium mythologicum excerpentes idem sumpsissent, quod iam apud Ovidium legitur. Accedit quod Arcas matrem interfecturus praeter scholiastas ab Ovidio solo nominatur. Itaque aut sententiae Franzii (apud Roscherum mythol. Lexic. p. 933, 32) assentiaris scholiastas ex Ovidio vel ipso vel aliquo intercedente hausisse aut censeas eodem compendio mythologico et Ovidium et scholiastas usos esse [1]). Priori sententiae repugnare videtur PG I, 138, qui, cum ceteri scholiastae de hac re taceant, Callistonem gravidam mutatam esse tradit contra Ovidium, qui matrem post puerum editum mutatam facit. Itaque, si non errore P factam esse putas, quales saepe occurrunt, alteri sententiae accedendum est. Ea autem re exstare apud IG I, 67 Helicen, quae ab Ovidio non commemoratur, ne depellaris a priore

1) Vehementer Robertus Eratosth. Catast. rell. p. 57 errat, cum, quoniam falso credit Servium quasdam fabulas ex Hygini poeticon astronomicon libris petisse, dicit Servium G I, 138. 246 Hyginum exscripisse, sed varias eius narrationes miscuisse. Neque enim censebis casu, siquis complures historiolas confuderit, oriri eadem, quae alio loco legantur.

sententia, moneo de altera ursa Cynosura adhibuisse eundem scholiastam G I, 246 fontem catasterismorum, ex quo facile Helicen in metamorphoseon fabulam immiscuisse potest [1]).

Ovid. Met. III 511—733: Pentheus, Echionis et Agaues filius, iratus, quod Bacchus, Semeles filius, coleretur, iussit Bacchum de Cithaerone ad se trahi. Acoetes, quem solum Baccho non reperto ceperant, ut gravissimis suppliciis afficeretur, carcere inclusus effugit portis ultro patefactis vinculisque solutis. Quam rem admiratus Pentheus ipse, cum in Cithaeronem properasset, a matre Agaue conspectus aperque habitus dilaceratus est. I eodem modo atque Ovidius de Pentheo refert excepta ea re, quod hic Pentheum a matre aprum putatum ille feram praebet, quod est minus accurate et quasi formulae instar dictum; hanc autem rem supra demonstravi, qui compendium composuit, demum induxisse, non ex fontibus suis sumpsisse. Ceterum non est, quod fabulam ad Ovidium non referas, sive I inde sumpserit, sive qui compendium composuit, id quod mihi magis placet propter illud vocabulum „fera“. Lyncum, Scythiae regem, cum Triptolemum, qui a Cerere hominibus agriculturam ostendere iussus erat, hospitio susceptum invidusque „tanti ut muneris auctor ipse sit“ dormientem interficere voluisset, a Cerere in lyncem mutatum esse et Ovidius V 642—661 tradit et SA I, 323, sed addit S „feram varii coloris ut ipse variae mentis exstiterat“. Quod fortasse eius est, ut supra dixi, qui compendium composuit. Quae si ita sunt, ex Ovidio fabula fluxisse potest, sin minus ex eodem atque Ovidii fonte haustam esse eam necesse est.

Arethusam Ovidius met. V, 572—641 tradit fuisse nympham Achaeae. Quam, cum venatione fessa in Alpheo fluvio lavaretur, dei amore petitam nudam fugisse sed, cum ille in Elidem eam persequeretur, Dianam adorasse; quamquam a dea nube involuta esset, Alpheo non cessante in fontem formatam esse. Tum etiam Alpheo, ut se cum ea misceret, in flumen commutato Dianam sub apertam terram detrusisse Arethusam neque prius quam ad Ortygiam eam emisisse. Quocum consentit SA III, 694, sed accuratius commemorat Arethusam fugientem, priusquam in Siciliam venerit, mutatam esse B X, 4 aliorum sententiam addens. Narrationem et Arethusam et

1) Hoc alio loco in Icari et Erigones fabula factum esse volo animadvertas S et IB IV, 6 = PG I, 32.

Alpheum venatores fuisse (ut exstat Paus. V, 72) putat Wentzelius apud Pauly-Wissowa I p. 1635 ab Ovidio, ut legisti, mutatam, unde in scholia Serviana fluxisse. Sed quamquam factum esse posse do, nego cum quadam maiore specie veri quae respondent Serviana Ovidianis hoc loco, ad Ovidium ipsum referri quam alio loco, ubi et Wentzelius et alii viri docti idem negent.

Nyctimenen Ovidius met. II, 589 narrat, quocum consentit SG I, 403, postquam cum patre concubuerit, in avem conversam esse, quae criminis conscia lucem fugiat atque ab omnibus infestetur avibus. S abhorret solum formula *voluntate deorum* [1]). *Admiratio* apud S — „quae pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi" — certe in malam partem accipienda est id est contemptio odium idemque quod Ovidius dicit „et a cunctis expellitur aethere toto". Apud Hyginum fab. 204 et in sylloge Medicea Nyctimenen a Minerva mutatam legis, hic, in sylloge, fortasse habes fontem communem omnium.

Quae de aconito apud SG II, 152 et PG II, 152 exstant, traduntur etiam ab Ovidio. Ex spuma Cerberi, quam ab Hercule ad superos tractus edit, nascuntur herbae venenosae, quae, quoniam in rupibus inveniuntur, aconita appellantur (met. VII, 408—419). Propter longiorem S de verbo *ἀκόνιτον* excursum, quem etiam Ovidium legisse ex verbis intellegis, ad communem fontem hanc fabulam referes.

Harum septem fabularum, de quibus nunc egi, solum aconiti fabulam non Ovidio sed eius fonti attribues, Ovidio ipso solum Erysichthonis: reliquas fabulas Callistonis, Penthei, Lynci, Arethusae, Nyctimenes, unde originem duxerint, in medio relinques.

Transeo nunc ad alterum genus fabularum, quae, etsi in universum congruant cum Ovidianis, tamen nonnulla ex Vergilio receperunt.

Atque iterum facio initium ex Caenidis fabula, quae apud Ovidium talis est (met. XII, 169—513): Caenidem virginem a se stupratam precibus eius Neptunus in virum transformavit eique dedit ultra nullo ferro vulnerari posse. Quae tunc vir facta, cum adesset pugnae Lapitharum et Centaurorum, magna mole arborum obruta exspiravit et in avem Caeneum mutata est. Qua re ab Ovidio SA VI, 448

---

1) Ceterum omnes codices S scribunt „Nyctimone", quod nisi archetypi scribae debetur, commixtum esse videtur ex Nycti*mene*, quam formam Ovidius, et ex Nyctinome, quam syll. Medicea habet. Cf. Maassium l. l. p. 15.

dissentiat, ex eis, quae supra demonstravi, videbis. Hoc igitur ex Ovidio non fluxit. sed quae est ratio reliquae fabulae? Primus Nicander apud Anton. Lib. 17 commemorat: *ὅτε Καινὶς μὲν Ἄτρακος οὖσα θυγάτηρ βουλῇ Ποσειδῶνος ἐγένετο Καινεὺς ὁ Λαπίθης.* De morte eius agit Apollonius Argon. I, 57 et totam narrationem praebent schol. Apoll. Arg. I, 57. schol. A 264. Hyg. fab. 14. Apollod. epit. Vatic. 1, 22. Itaque compendium et ex Ovidio et ex eius fonte — nam vulgaris erat — hausisse potest.

Met. X, 560 Ovidius narrat Atalantem, Schoenei filiam, cui esset praedictum „fuge coniugis usum, Nec tamen effugies, teque ipsa viva carebis“ [1]), cum sponsis cursu de matrimonio certasse victosque interfecisse. Qua de causa Hippomenem, Megarei filium et Neptuni pronepotem, a Venere auxilio vocata tria aurea mala ex fano ad Tamasenen sito accepisse. Quae singula ab Hippomene iacta ut colligeret, moratam Atalanten ab Hippomene superatam esse, sed ambos in templo magnae matris concubitu violato in leones mutatos esse, qui „pro thalamis celebrent silvas“. IA III, 113 addit Atalanten post nuptias interituram esse, nescio unde sumptum [2]). Parentem et avum [3]) Hippomenis solus BB VI, 61 exhibet; patrem Atalantes PB VI, 61, BB VI, 61, IA III, 113 Schoeneum nominat, cum SB VI, 61 et A III, 113 tradat eam esse e civitate Schoeno [4]). Hoc facile ex Ovidiano illo *schoeneia virgo* oriri potuit neque, quamquam apud alios

1) Falso haec verba Immerwahr De Atalanta diss. Berol. 1885 p. 5 interpretatus est „si viro se dederet mortem eam obituram esse“.

2) Fortasse qui compendium composuit hoc (ut Immerwahr ex oraculo Ovidiano) elicuit, quoniam oracula duplici modo intellegi posse notum erat.

3) Hoc merus error B esse videtur, cum pro „proavus“ „avus“ posuit. — Ceterum et Ovidius (et B) et Apollodorus III 15, 8 eodem stemmate usi esse videntur:

Ovidius:	Apollodorus:
Neptunus	*
*	Hippomenes
Megareus	Megareus
Hippomenes	*

Cf. Ovid. X, 605/6 „namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum“ et Apoll. l. l. *καὶ Μεγαρέα τὸν Ἱππομένους ἐξ Ὀγχηστοῦ* ....

4) Res incerta est, nam male tradita est vox. Fortasse scribendum est „Sciros“ cf. Thilo ad Serv. l. l.

scriptores traditum est Schoeneum regnasse in Schoeno civitate, aliunde peti necesse erat. De Hesperidum malis apud schol. vide quae supra demonstravi. Quaeritur nunc, num opus fuerit eum, qui compendium composuit, Ovidium adhibere. Schoenei filiam Atalanten fuisse iam apud Hesiodum (Apollod. III, 9, 2, 7) legebatur; cf. schol. Theocr. III, 40. Hyg. fab. 185. schol. Apoll. Rhod. I, 769; de matrimonio Atalanten cum sponsis cursu certasse apud Apoll. III, 9, 2, 5. Hyg. schol. Theocr. l. l.; victos sponsos necatos esse apud Apoll., Hyg., schol. Theocr.; de victore Atalantes dissentio est, iam Euripides apud Apollod. l. l. Hippomenem commemorat; filium Megarei eum etiam Hyg. fab. 185 nominat; Hippomenem ab Venere aurea mala accepisse habes apud schol. Theocr., Apoll., Hyg.; Veneri gratiam agere oblitum Veneris impulsu concubuisse etiam apud Hyg. fab. 185; Hippomenem et Atalanten mutatos in leones omnes consentiunt, sed Palaephatus 14 in universum dicit venantes in leones abisse postquam se miscuerint, schol. Theocr. ἐν ἱερῷ τόπῳ συνελθών, Apoll. cum in templo *Iovis* concubuissent, Hyg. in fano Iovis a *Iove* mutatos esse. Contra solus Ovidius cum scholiastis tradit in luco matris deum concumbentes a dea in leones conversos esse, etiam propter mutationem futuram noluisse nubere solus Ovidius et I. Quae cum ita sint, nisi totam narrationem exceptis dumtaxat rebus abhorrentibus ex Ovidio in compendium fluxisse putas, has quidem res ex Ovidio vel ex eius fonte in compendium venisse arbitrari cogeris.

Optime hoc loco etiam de Hippolyti fabula agitur, etsi non plane eiusdem modi est comparata. Nam etiam in hanc fabulam puto nonnulla ex Vergilio immixta esse, quam rem iam supra tractavi. Ovidius met. XV 497—546 narrat: Hippolytus, Thesei filius, cum a noverca, Pasiphaes filia, pellectus adulterium recusasset, apud patrem accusatus expulsus devotus est. Fugiens cum iuxta litus curru veheretur, e mari taurus emergens equos turbavit. Hippolytus e curru lapsus per terram tractus vita privatus est. Sed Diana, quae eum amaverat, per Aesculapium in vitam rovocatum in lucum Aricinium transtulit eique nomen dedit Virbio. Quocum in universum congruit quod SA VI, 445 et A VII, 761 exhibet, sed praeter eas res, quibus Vergilium secutus esse videtur, una est res aliena. Nam Thesea Aegeum patrem rogavisse, ut Hippolytum puniret, solus scholiasta Vergilianus tradit. Vidimus supra monstra marina missa esse et quid

hoc sibi velit cognovimus. Sed quis unquam tradidit Aegeum deum marinum esse, qui monstris marinis imperare possit? Itaque suspicor fontem exhibuisse Theseum a patre petisse, ut se ulcisceretur, et quoniam Neptunus et Aegeus ex Aethra Theseum genuisse dicebantur, qui excerpserit addidisse falso nomine electo Aegeum, cum Persii scholiasta recte tradat 6,56 *petiit a Neptuno Theseus, ut ei phocas immitteret*[1]. Hippolyti et Phaedrae fabulam praeclare egit Euripides in Hippolyto, ex quo pendent schol. λ 321, Apoll. ep. 1, 16—19, Hyg. fab. 47 nec non ad eundem redit Ovidius. Deest, quod apud scholiastam invenitur, apud Ovidium Phaedram filiam fuisse Minois, mortua Hippolyte obduxisse novercam Theseum, Phaedram laqueo suspensam. Itaque necesse est compendium non Ovidio sed eius fonte usum esse.

Transeo ad tertiam partem fabularum, quae etsi in universum cum Ovidio consentiant, tamen errore aliquo discrepant.

Ac primum quidem huc quadrat Ardeae fabula, quam supra p. 22 exposui.

Deinde quae legis apud SG II, 84 (= BG II, 84) respondent Ovidii fabulae met. IX, 348 sq. huic: Lotis nympha Priapi vim fugiens mutata est in florem, qui retinet idem nomen lotos. S contra Ovidium nympham Loton commemorat, quod facile ex nomine floris ortum esse potest. Quod addit S (= B) „quae vulgo faba Syriaca dicitur“, ei fortasse, qui compendium composuit, attribuendum est.

Venio nunc ad maximas fabularum partes. Atque primo loco disseram de eis fabulis, quarum summa cum Ovidio congruit, sed ita ut aliarum fabularum particulae immixtae sint, altero loco de eis fabulis, quae alium fontem redolent sed etiam particulas Ovidianae narrationis receperunt. Sed haec genera difficillima sunt discretu, nam plerasque ex ingenio suo quisque huic aut illi generi fabularum attribuet.

Legis apud Ovidium met. X, 162—219 Hyacinthum, filium Oebali, ab Apolline amatum prope ad Eurotam, cum ambo disco iaciendo delectarentur, disco interfectum esse. Amicum deploratum mutatum esse in florem, cui inscribitur AIAI. Postea (met. XIII, 394—398) eundem florem ortum esse ex sanguine Aiacis eandemque habere inscriptionem ut „littera haec nominis, illa querellae“ esset.

1) cf. similia apud E. Schwartzium l. l. p. 23.

SA IX, 433. Hyacinthum .. qui pulcherrimus fuit et post mortem conversus est in florem.

B III, 63 nam scimus Hyacinthum amatum tam a Borea quam ab Apolline: qui cum magis Apollinis amore laetaretur, dum exercetur disco, ab irato Borea eodem disco est interemptus et mutatus in florem nominis sui.

B III, 106 hyacinthus enim ubique nascitur flos, qui natus primo est de Hyacinthi sanguine postea de Aiacis, sicut etiam Ovidius docet. est autem rubrum quasi lilium designans primam Hyacinthi litteram.

IA XI, 619 sane Hyacinthus puer fuit Eurotae vel ut quidam volunt Oebali filius. cetera de hoc in Bucolicis dicta sunt.

PB III, 106. Hyacinthus ab Apolline adamatus propter nimiam pulchritudinem et ab ipso per ignorantiam occisus disco conversus est in florem, qui in se litteras habet AIA, ut sit vox plorantis. Quidam ex Aiacis sanguine.

BB III, 63. Puer prope amnem Eurotam dum cum Apolline ad discum iaciendum ludit, per imprudentiam incautus interiit eumque nymphae fleverunt, earum ut lacrimis irriguus flos crearetur. Inde rubeus Hyacinthus dicitur, colori solis comparatus.

BB III, 63. Puer pulcherrimae formae fuisse traditur, ab Apolline dilectus et ab eodem imprudenti ludicro disco peremptus est, de cuius cineribus flores nati sunt et nomine eius inscripti sunt.

BB III, 107. Aiax cum se interfecit gladio Hectoris, flores violae e terra sanguine concreto exortae litteras habuerunt nomen Aiacis exprimentes; habuerunt enim duo ae ae.

Quae Ovidio cum scholiastis communia sunt, haec sunt: Hyacinthum Oebali filium fuisse (I), prope amnem Eurotam mortuum esse (B), ex eius sanguine florem exstitisse rubrum quasi lilium; praeterea consentiunt cum Ovidio ex Hyacintho et Aiace eundem florem ortum esse, cui inscribitur aiai, ut littera haec nominis illa querelae esset, dicentes P: *AIA ut sit vox plorantis, quidam ex Aiacis sanguine*, B: *aeae nomen Aiacis exprimentes.*

Sunt autem multae aliae res, quae, etsi apud Ovidium non exstent, tamen apud scholiastas leguntur. Eurotae filium fuisse Hyacinthum solus I praebet neque apud Ovidium aut alium scriptorem antiquum invenies.

Quod dicunt de floris incriptione SB III, 106 *designans primam Hyacinthi litteram* et BB III, 63 *de cuius cineribus flores nati sunt et nomine eius inscripti sunt*, legis etiam apud Palaephatum 47 *λέγουσι δ' ὅτι καὶ τῆς προσηγορίας ἐν φύλλοις ἐπιγέγραπται τὸ προοίμιον.*

Quod praebet SB III, 63 et ab Apolline et a Borea Hyacinthum amatum esse absque Borea interfectum, eadem esse videtur narratio, quae nobis primum occurrit apud Palaephatum l. l., nisi quod et apud Palaephatum et apud omnes reliquos exstat non Boreas sed Zephyrus amator.

Aiacem Hectoris gladio interfectum (BB III, 107) primus testis est Soph. Aiac. 817, sed violas ex Aiacis sanguine ortas, quibus inscribitur aeae, nusquam alibi quam apud B cum invenias, fortasse mendum est ex ea re tractum, quod veteres Hyacinthum florem cum diversis floribus comparabant. Eodem modo de naidibus Hyacinthum deplorantibus solus BB III, 63 exhibet.

Vides multa inesse fabulae Hyacinthi, quae etsi constet apud veteres relata esse, tamen ex Ovidio fluxisse nequeant. Qua de causa fortasse dubitas etiam omnia, quae scholiastis cum Ovidio communia sunt, huic poetae attribuere. Nam florem ex Aiacis cruore ortum apud antiquos cum lilio comparatum esse vides ex Paus. I, 35, 3 et quid litterae inscriptae significarent eadem atque Ovidium alios retulisse testis est scholiasta Theocriteus X, 128 *τὴν ὑάκινθόν φασιν ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ Αἴαντος ἀναδοθῆναι, τοῦ ἐν Τροίᾳ μανέντος, διά τοι τοῦτο ἔχειν ἐγγεγραμμένον αἶ αἶ, τὴν ἀρχὴν τοῦ ὀνόματος τοῦ Αἴαντος. ... ἣ γραπτὴ ὑάκινθος ἡ ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ γεγραμμένα γράμματα θρηνώδη, δηλονότι τὸ αἶ αἶ*[1]).

Restat solus pater Oebalus. Quem cum solus Ovidius praebeat — ex quo hausit Ausonius Cup. cruc. aff. v. 9 — necesse est aut

1) Primus huius rei testis est Euphorion (cf. Meinekii Euphor. fr. 36) apud schol. Theocr. X, 28 *τὸ πάθος τοῦ Αἴαντος ἀποφαίνει, εἰς ὃ ἀπιδὼν Εὐφορίων εἶπεν· πορφυρέη ὑάκινθε, σὲ μὲν μία φάτις ἀοιδῶν Ῥοιτείης ἀμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο εἴαρος ἀντέλλειν, γεγραμμένα κωκύουσαν.*

scholiastam ipsum ex Ovidio sumpsisse — ac velim attendas hoc loco I cum Ovidio consentire — vel qui compendium composuit hoc fecisse aut hunc et Hyginum et Ovidium eodem fonte usos esse.

Atque ut ex exemplo, quomodo comparatum compendium mythologicum fuisse censeam, intellegas, appono hanc Hyacinthi narrationem, qualem mihi persuasi in fonte scholiastarum exstitisse:

„Hyacinthus puer pulcherrimus fuit, Eurotae vel, ut quidam volunt, Oebali filius, ab Apolline amatus. Qui, cum prope ad amnem Eurotam cum Apolline discum iaciendo luderet, per imprudentiam vel ipsius vel Apollinis interiit; alii dicunt ab irato Borea (vel Zephyro), cum tam ab Apolline quam a Borea amatus Apollinis amore laetaretur magis, disco esse interemptum. Ex eius cruore ortus est flos ruber quasi lilium vel, ut alii dicunt, viola designans primam Hyacinthi litteram vel, ut alii dicunt, habens in se litteras aiai, ut sit vox plorantis. Quidam hyacinthum ex Aiacis sanguine, cum se interfecisset gladio Hectoris, exortum habuisse litteras nomen Aiacis exprimentes ae ae. Sunt, qui dicant hyacinthum primum de Hyacinthi sanguine postea de Aiacis natum, sicut etiam Ovidius.“ —

De Latona Lyciisque agricolis haec inveniuntur apud Ovidium met. VI, 317—381: Latona, cum ira Iunonis per totum orbem terrarum acta fessaque solis aestu vacuis uberibus, ut biberet, fontem quendam Lycium accederet, a rusticis prohibetur. Quamvis instaret precibus, illi conviciantur et manibus ac pedibus aquam impuram reddunt. Tum irata dea mutat homines improbos in ranas. Eadem exponunt S et BG I, 378 excepta ea re, de qua supra p. 24 dictum est. Etiam apud P legitur haec fabula, sed Mela fons memoratur et Neocles pastor, quorum hic nusquam alibi reperitur, ille idem esse videtur ac **Μελίτη πηγή**, cuius mentionem facit Antoninus Liberalis transformationum 35. Itaque, si summa huius fabulae fluxit ex Ovidio, tamen concedendum est particulas narrationis aliter comparatae insertas esse. Utrum autem haec fabula redeat ad Ovidium an ad fontem eius, disceptari non potest, quoniam huius fabulae desiderantur alia testimonia et quae nobis est tradita altera narratio Antonini Liberalis l. l. plane est diversa.

Transeo ad Ceycis et Alcyones fabulam. Ovidius met. XI, 410 haec exhibet: Ceyx, Luciferi filius rex Trachinos, quamquam uxor precibus, ne abiret, retinuerat, profectus est, ut Apollinem consuleret.

Naufragio facto cum corpus Ceycis ad litus appulsum esset, Alcyone marito cognito in molem quandam properavit, ut — sic ex re concludes — se in mare proiceret: tunc mutata est. Paulo post etiam Ceyx deorum miseratione mutatus Aeoli gratia tranquillum mare per septem dies quaque hieme nanctus est „si ova rumpuntur". Fabula Ovidiana Alcyones ad Nicandrum redit, qui primus, quem nos quidem scimus, historiolam dierum alcyoneorum cum metamorphosi coniunxit (cf. Wilamowitz Hermae XVIII, 419 et M. Wellmann Hermae XXVI, 515). Itaque, etiamsi compendium non ex Ovidio, sed ut Ovidius ipse ex Nicandro hausit, non est mirum, si SG I, 399 BG I, 399 PG I, 399 in universum cum Ovidio congruunt. Quae cum ita sint, etiam alcyoneos dies Ovidium et scholiastas septem esse dicentes non miraberis aliis quattuordecim esse contendentibus. Tum confirmatur sententia ea re, quod Ovidius tradit miseratione deorum mutatas dicitque S Thetidis et Luciferi, B Thetidis miseratione.

Opheltes quidam — ut narrat Ovidius III, 597—691 — in insula Cea puerum, qui erat Bacchus, invenerat. Ille cum vino et somno gravis quasi titubans navem ascendisset, experrectus quaerit, quomodo huc venerit et quo eum ferre velint. Ac Proreo respondente „dic quemnam portum petis" Naxum, inquit Liber, ubi habito. Nihilo setius Naxo relicta in aliam regionem cum Aethalion vela daret, hac re animadversa Bacchi iussu tigres apparent, quibus visis viri metu adducti in mare prosiliunt.

Certe non assentiendum esse puto Crusio Philol. nov. ser. II, 219, qui Servium A I, 67 et Hyginum PA II, 17 ex Aglaosthene sua excerpsisse vult. Sed fontium, quiqui exstant, nullus nisi Ovidius Dionysum in litore dormientem inventum dicit, tum experrectum quaesivisse, quo duceretur, et solus inter bestias, quae apparere iussae sunt, commemorat tigres. Itaque necesse est fontem scholiastarum aut ex Ovidio aut ex Ovidii fonte hausisse. Narrationi huic, quam tradit S, I immiscuit aliquid de stupro Liberi, quod etiam apud Hyginum fab. 134 invenitur. Hanc fabulam nautarum Tyrrhenorum coniunxit Ovidius cum Penthei fabula. I, quem eodem modo atque Ovidium de Pentheo retulisse supra demonstravi, etiam Acoetam commemorat, quae persona pertinet ad mythum Tyrrhenorum. Itaque, cum factum esse posse, ut I ex Ovidio ipso hoc sumpserit, supra dixerim, quoniam Tyrrhenorum fabula, quae est necessaria particula totius fabulae, apud S invenitur, cre-

denda est tota fabula exstitisse in fonte scholiastarum. Neque, cum et Tyrrhenorum et Penthei fabula accurate congruat cum Ovidio, dubitabo conicere fontem scholiastarum hausisse ex Ovidio ipso. Sed cum et Dionysiaca Nonni XLV, 105 sqq. utramque fabulam coniunctam praebeant, id quod iam Knaackius Anal. A.-R. p. 57 animadvertit, verisimile fortasse est et Ovidium praecedente aliquo Alexandrino idem fecisse neque plane negabis et qui compendium composuit et Ovidium eodem fonte usos esse posse.

Antigonen Laomedontis filiam, cum de pulchritudine cum Iunone certasset, in ciconiam conversam esse et apud Ovidium met. VI, 93 sqq. et apud SA I, 27 invenis. Quae cum et ad Ovidium (cf. Wissowa in Pauly-Wissowa Realencyclop. I, 2404) et ad eius fontem redire possit, plenior altera narratio, quae exstat apud mythogr. Vatic. I, 179 quamque recte Wissowa l. l. docuit excerptam esse ex perdito scholio[1]) ad Verg. Georg. II, 320, quod — id quod Ovidius non praebet — comae eius in serpentes conversae esse traduntur, ex Ovidio fluxisse non potest.

Aeacum (Iovis et Aeginae filium — narrat Ovidius VII, 518—660 — cum omnes homines peste perissent, quam, quod Aeacus insulam nomine matris appellasset, Iuno irata misisset,) in quercu magna multitudine formicarum animadversa a Iove petisse, ut tot sibi homines contingerent. Quod optasset impetrato formicas in homines conversas esse, quam ob rem Myrmidonas appellatos esse. Quod rotundis uncis inclusi, solum apud IA II, 7 legis, reliquum etiam apud S, sed cum in universum dicat I *formicae*, *quas casu animadverterat plures*, dicit S *cum in arbore fici formicas vidisset.* Eandem fere narrationem habes apud Hyginum fab. 52, qui et quercum exhibet. Sed cum primum Ovidius et I incolas peste interfectos, Hyginus[2])

1) Ceterum quod te animadvertere volo, cum ceteris scholiis hanc ad eundem fontem redire vides ex illa formula tritissima, quae apud scholiastas sescenties invenitur *miseratione deorum.*

2) Recte Dietze Quaest. Hyg. diss. Kil. 1890 p. 31 verba Hygini *Iuno* ... *serpentem in aquam misit, quae eam venenavit* confert cum Ovidii versibus 534. 535 *miliaque incultos serpentum multa per agros errasse atque suis fluvios temerasse venenis.* Sed num recte dixerit non dubium esse, quin Hyginus hypothesin Graecam accuratius Ovidio redderet quaeritur. Immo, cum Ovidium cum I comparaveris, propter pestem missam et propter causam pestis missae concedes etiam Ovidium (et I) nonnullis locis fontem, quem hypothesin Graecam Dietze dicit, accuratius sequi quam Hyginum.

contra serpente misso dicat, deinde de pestis causa dissentiant, cum I et Ovidius propter insulam a matris nomine nominatam, Hyginus dicat *Iuppiter, cum Aeginam, Asopi filiam, vellet comprimere et Iunonem vereretur, detulit eam in insulam Oenonen et gravidam fecit, unde natus est Aeacus. Hoc cum Iuno rescisset*... id est post aut propter Aeacum natum missam esse pestem. Quod cum in universum dicat, ex alio verbo fortasse concludi potest Hygino eandem atque Ovidio et I causam pestis visam esse. Dicit enim in fine Hyginus *insula possedit nomen*, id quod intellegi potest „remansit insulae nomen". Qua re probatur antea ei nomen esse inditum, id quod supra inseres eo loco, ubi de peste missa verba fiunt. S re leviter tacta in universum narrationem praebet eandem, quam excepta ea re, quod Aeacus ipse petisse dicitur, Hesiodus ap. schol. Pind. Nem. 3, 21. Sed totus tenor is est, ut cum S I artiore vinculo coniungi non neges. Itaque aut utriusque fons, quem hic brevius ille amplius reddit, ex Ovidio hausit vel ex eius fonte aut I Ovidio ipso inspecto, quae S ex compendio sumpserat, Ovidianis frustulis amplificavit.

SA III, 680 Cyparissus autem Telephi filius fuit, amatus ab Apolline vel ut alii a Silvano, qui cum l a s s a t u s a e s t u s u b q u a d a m a r b o r e s o m n u m c a p e r e t, subito s t r e p i t u e x c i t a t u s cervum, quem in deliciis habebat, f e r a m c r e d e n s per ignorantiam m i s s o t e l o occidisset, flendo nimium misericordiam meruit numinum itaque in arborem cupressum conversus et aptam et consecratam lacrimis et luctibus.

IA III, 64 c u m h a b e r e t i n d e l i c i i s C y p a r i s s u s p u e r c e r v u m e t i p s e a b A p o l l i n e d i l i g e r e t u r, i m p r u d e n s c e r v u m s u u m i a c u l o o c c i d i t e u m q u e d u m l u g e t n e g l e c t a c o n s o l a t i o n e A p o l l i n i s, d o l o r e c o n s u m p t u s e s t; c u i u s u t e x s t a r e t m e m o r i a, i n l u c t u o s a m a r b o r e m, i d e s t c u p r e s s u m, m u t a t u s e s t, q u a e d e f u n c t i s a d h i b e t u r.

PG II, 84 Cyparissus dicitur cypressus: quidam dicunt a Cyparisso, qui in insula Chio cum haberet cervum mansuetum, quem unice diligebat et errantem in silvis ignarus iaculo traiecisset, inedia se necavit. quem quia nec consilio a morte nec viribus medicinae Apollo, qui eum immoderate diligebat, revocare poterat, convertit in cypressum arborem luctuosam.

SG I, 20 Silvanus deus est silvarum. hic amavit puerum Cyparissum nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. hanc cum Silvanus nescius occidisset, puer est extinctus dolore: quem amator deus in cupressum arborem nominis eius vertit, quam pro solacio portare dicitur.

BG I, 20 SILVANE CVPRESSVM deus silvarum. hic adamavit puerum Cyparissum nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. hanc cum Silvanus nescius occidisset, puer extinctus dolore, quem amator deus convertit in cupressum arborem eius nominis, quam pro solacio portare dicitur.

IA III, 680 alii hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum et castissimum fuisse (tradunt), quem quidam ab Apolline nonnulli a Zephyro amatum volunt. qui cum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluvium et montem Casium dicitur pervenisse atque ibi in cypressum arborem commutatus, quae arbor ideo mortuis consecratur quod caesa semel nescit renasci.

PG II, 84 Quidam putant, ut Asclepiades ait, Boream fuisse Celtarum regem, qui filiam Cyparissam amiserat et novum arboris genus primus in tumulo eius severit ob eamque causam esse luctuosam cypressum.

Fabulae de Cyparisso multae exstant, de quibus deficientibus aliis testimoniis nihil amplius dicere possumus, quam eas non ex Ovidio sumptas esse: IA III, 680, quae fabula pertinet ad Antiochiam Syriae cuius amatorem Zephyrum etiam apud Nonn. Dionys. XI, 364 reperimus, PG II, 84 de cypresso ex Cyparissae nomine appellata, SG I, 20 (= BG I, 20) de Silvano Cyparissi amatore. Contra, ut cum Ovidio comparentur, in censum veniunt SA III, 680, IA III, 680, IA III, 64, PG II, 84. Est autem Ovidii haec (met. X, 106—142): Cyparissum in insula Cea ab Apolline amatum habuisse cervum mansuetum. Quem, cum olim sub arboribus umbrosis per meridiem dormiret, a Cyparisso interfectum esse, qua re tanto dolore affectum esse Cyparissum, ut contempta Apollinis consolatione semper queri cuperet. Tum in arborem conversum esse, qui alios lugeret et adesset dolentibus. SA III, 680 Silvanus amator insertus est ex alia narratione, quam praebet SG I, 20. Telephi filium fuisse Cyparissum pertinet ad Mysiam (cf. Preller-Robert Gr. Myth. I p. 271, 2) et, cum apud Ovidium legas *Ceam*, aliunde hoc immixtum esse necesse est. P narratio, Cyparissum inedia se necasse et ab Apolline in vitam revocari non potuisse, abhorret ab Ovidio; quae restant SA III 680, IA III, 64, PG II, 84 ex Ovidio vel ex eius fonte fluxisse possunt. Quod immiscuit IA III, 680 ad Ovidium redire nequit, quamquam primo obtutu sic videri potest. Immo puto mendo contracto hunc in locum invasisse particulas fabulae de Procride et Cephalo, qualis apud Ovidium narratur qualemque Servius ipse praebet A VI, 445.

Sed etiam alio modo res explicari potest. Si fabulam Ovidianam perlegeris, cognosces non recto talo stare versus X, 126 quaeque sequuntur:

aestus erat mediusque dies....
fessus in herbosa posuit sua corpora terra
cervus et arborea frigus ducebat ab umbra.
hunc puer imprudens iaculo Cyparissus acuto
fixit.....

Quo enim modo factum est, ut Cyparissus cervum iaculo figeret? Vides Ovidium rem, quam invenit in fonte, leviter tetigisse, sed etiam confudisse conicies. Nam quaestionem, quam movi, solvit I: Cyparissum, cum dormiret, subito strepitu excitatum cervum pro fera habitum occidisse. Quam rem Ovidius falso retulisse videtur, cum pro dormiente puero cervum dormientem posuit. Itaque non solum haec verba IA III, 680 sed etiam, quae apud SA III, 680, IA III, 64, PG II, 84 cum Ovidio congruunt, ad fontem Ovidii non ad ipsum redire censeo.

De Glauci erga Scyllam amore iam Hedyle (Athen. VII, 296 sq.) egit [1]. Excepto Ovidio nusquam amplior narratio exhibetur nisi apud scholiastas — nam Hyg. fab. 199 quoniam in aperto est ex Ovidio fluxisse in censum non venit [2] —, nihilo setius ex multis variis apud scholiastas narrationibus elucet fabulam pervulgatam fuisse. Apud Ovidium de Scylla hanc invenis fabulam met. XIII, 898—XIV, 74: Glaucus Scylla virgine, filia Crataeidis, quae est nymphis carissima, visa amore incenditur. Sed cum illa fugeret, iratus Circen orat, ut se venenis adiuvet. Qua in re cum Circe amore eius adducta amorem in se illiciat, illo se Scyllae fidum se praestiturum esse dicente ira commota venenum mixtum in gurgitem fundit. Ac postquam veneno Scylla mutata est, Ulixen sociis privat posteaque in scopulum convertitur. Enumerabo, quibus rebus dissentiant scholiastae: BB VI, 74 et SA III, 420 et B VI, 74 addunt matri patrem Phorcum ex Apoll. Rhod. IV, 828 *Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκῳ νυκτιπόλος Ἑκάτη τήν τε κλείουσι Κράταιϊν* [3], SA III, 420 et B VI, 74 pro Ovidiano gurgite fontem exhibent, SB VI, 74 solus praebet a Glauco Scyllam

1) Cf. etiam Aeschyli *Γλαῦκον Πόντιον*.

2) Hoc voluit Rohde Gr. Roman p. 125, contra quem pugnat Dietze l. l. p. 46, quamquam ipse docet in hac Hygini fabula quasi circumlocutionem quandam orationis Ovidianae occurrere.

3) Ceterum hoc loco adnotare liceat BB VI, 77 Scyllam vel Crataeidos vel Lamiae filiam appellare. Cf. schol. Apoll. Rhod. IV, 828 *Στησίχορος δὲ ἐν τῇ Σκύλλῃ Λαμίας τὴν Σκύλλαν φησὶ θυγατέρα εἶναι.*

in deam marinam mutatam esse. SA III, 420 et B VI, 74 in universum congruentes cum Ovidio omittunt secundam mutationem et Glaucum ipsum remedium a Circe petentem; hoc IA III, 420 quasi novam fabulam addit. Quaeritur, utrum, quae scholiastae discreta exhibent, principio discreta fuerint et Ovidius utrumque commiscuerit, an utrumque tale, quale Ovidius praebet, quasi unum corpus sit et scholiastae demum ex una narratione duas fecerint. Quaestio solvitur scholio BB VI, 74, nam ibi invenis has duas res commixtas. Quod scholion, quamquam optime congruit cum Ovidio, tamen tam multis rebus dissentit (Phorco patre, fonte, Neptuno Scyllam in scopulum mutante, Scylla comite Dianae), ut verisimilius sit hanc fabulam non ad Ovidium redire, sed scholiastam et Ovidium ad communem fontem referendos esse.

PB VI, 74: Phorci et Crataeidis filia Scylla Tritonem habebat amatorem, postea Neptunum paravit. Ea contumelia Triton exacerbatus a Circe venena accepit, quibus illa callebat, et mare infecit, per quod Scylla ad Neptunum frequentabat. Ergo fraudis ignara, ubi mare ingressa est Scylla, demutata est tenus inguina, ut canibus sex succincta, reliqua delphinus esset; pars sola hominem retinuit, quae super aquam fuit.

Valde perturbatum hoc scholion mihi videtur. Neque enim de amatore Tritone alio loco audis sed ubicumque nominatur Glaucus, neque alibi Glaucus Neptuni amori invidet sed Amphitrite. Itaque censeo hoc loco duas fabulas misceri, quae sunt de amore Scyllae erga deum marinum quendam[1]) et de Scyllae et Neptuni amore odioque Amphitrites. De priore fabula confer quae supra dixi. Secundam eandem, quam legis apud IB VI, 74, non fictam esse ex Tzetzae in Lycophr. 45 intellegis, ubi idem traditur: *ἦν δὲ ἡ Σκύλλα ὥς φασι πρῶτον γυνὴ εὐπρεπὴς, Ποσειδῶνι δὲ συνοῦσα, Ἀμφιτρίτης ζηλοτυπησάσης καὶ φάρμακα ἐμβαλούσης τῇ πηγῇ, ἐφ' ᾗ εἰώθει λούεσθαι, ἀπεθηριώθη.* Quartam narrationem, Scyllam, quoniam Glaucum amasset essetque amata a Neptuno, conversam, solus exhibet IA III, 420. Neque tamen discerni potest, utrum, quae de coniuge Glauci Circe BB VI, 77 tradit, sit quinta aliqua narratio, an errore alicuius excerptoris orta ex Ovidiano illo Circen in amorem Glauci incidisse.

1) Preller-Robert Gr. Mythol. I p. 619 Tritonem genuinum arbitrantur.

Scyllae fabulae fabulam Glauci, Anthedonii piscatoris, inseruit Ovidius met. XIII, 917—963. Qui cum pisces captos subito herba comesa reviviscentes vidisset, ipse herba gustata in mare proiectus in deum marinum mutatus est. Consentiunt SA V, 823 et G I, 437 et PG I, 437. Iunilius BG I, 437 quas praebet duarum fabularum dissentit altera, cum dicit Glaucum Anthedonis filium (id quod exhibet etiam Mnaseas apud Athen. VII, 296) et dolore perditorum piscium in mare desiluisse, id quod solum hic invenitur. Altera abhorret ea re, quod Glaucum Polybo et Euboea natum esse affert — matris nomen coniectura assequimur ex tradito SCRIBEO vel SCRIBOE —, id quod apud Athen. l. l. Promathidas, vir doctus et poeta saeculi a. Chr. n. primi, dixisse traditur, et quod tradit Glaucum gustasse herbam, quae in fortunatis insulis nascatur, et deum marinum factum, cuius rei iam Alexander Aetolus mentionem facit apud Athen. l. l.

Alexander Aetolus igitur commemorat *καταποντωθῆναι* Glaucum et Palaephatus 28 *λέγεται*, inquit, *ὅτι καὶ οὗτος ὁ Γλαῦκος πόαν φαγών ποτε ἀθάνατος ἐγένετο καὶ νῦν ἐν τῇ θαλάττῃ οἰκεῖ.* Praeterea Callimachus (cf. Schneider Call. II, 165) rem tetigisse videtur et Nicander apud Athenaeum exposuit *λαγὼν θηρᾶσαι* et *ἀναζωπυρήσαντος δὲ τοῦ λαγὼ τῇ βοτάνῃ ... ἀπογεύσασθαι καὶ ἔνθεον γενόμενον ... εἰς τὴν θάλασσαν αὑτὸν ἐκρῖψαι.* Idem, quod hic de venatore, et schol. Lycophr. 754 et schol. Apoll. Rhod. I, 1310 de piscatore praebent, quorum illum apponere sat habeo *Γλαῦκος ὁ Ἀνθηδόνιος ἦν ἁλιεύς. Ἐμμανὴς δὲ γενόμενος ἥλατο εἰς τὴν θάλασσαν. Ἰχθὺν γὰρ ἁλιεύσας καὶ ῥίψας νεκρὸν εἰς γῆν, εἶδε προσεγγίσαντα βοτάνῃ καὶ ἀναζήσαντα. Φαγὼν δὲ καὶ αὐτὸς γέγονεν ἀθάνατος, ἀλλ' οὐκ ἀγήρως καὶ ἥλατο ὥσπερ ἔφην εἰς θάλασσαν.* Itaque non dubium est quin hoc loco fons Alexandrinus lateat, ad quem et Ovidius et scholiastae redeant.

Met. IV, 628—662 Ovidius haec narrat: Atlas, rex Hesperiae terrae, cum (a Themide) ei praedictum esset, caveret Iovis filium (aurea poma ablaturum, hortum muris cinctum draconi custodiendum tradidit). Atque cum et alios peregrinos non suscepisset et Perseum, qui se ex Iove natum professus erat, hospitio afficere nollet ac denique, ut exiret, per vim cogeret, Perseus Gorgoneo capite monstrato Atlantem montem reddidit. Quae rotundis uncis circumsaepsi, soli IA IV, 246 communia sunt cum Ovidio, reliqua praebet etiam S eiusdem loci; aliunde petisse videtur I Hesperidas custodes pomorum hortique vel

tritissimum hoc immiscuisse. Itaque de hac fabula idem iudicium ferendum est, quod de reliquis: aut ex fonte Ovidii aut ex ipso fluxit.

Ovidii met. XI, 749—795 legis Aesacum, Alexirrhoes et Priami filium, postquam filiam Cebrenis fluvii in patria ripa viderit, eam amasse et, cum sequentem fugeret, virginem subito serpentis dente morsam occidisse. Hac tristitia commotum cum se in mare proiecisset, a Tethye benigne susceptum et in mergum commutatum esse, qui delectetur in mare se iterum atque iterum proiciendo. His rebus respondent, quae IA IV, 254 tradit. Sed memorat I solam Alexirrhoen matrem neque novit, quae sit amata, appellans eam *aliam eiusdem fontis nympham*, quod fortasse evasit ex Ovidianis illis verbis „aspicit patria ripa", et Tethye omissa „miserationis deorum" mentionem facit, quae est quasi tritissima formula. De Aesaco igitur quae apud I exstant, compendium adhibuit Ovidium, sed eodem iure contendes, id quod Knaackius fecit apud Pauly-Wissowa I p. 1047, hanc fabulam propter eam causam Ovidio simillimam esse quod ex eodem fonte fluxerit. De Aesaco, quem Priami filium dicit, etiam SA V, 128 loquitur, sed utrum haec sit omnino diversa narratio — Euhemeri more narratam dicit Knaackius l. l. — an aliud ex eadem fabula quam supra habemus excerptum, quod corruptum sit verbo ambiguo male intellecto et pro *scopulo* muro posito, haesito.

Ovidii met. IV, 416—542 legis Iunonem (Inoni, materterae et nutrici Bacchi, iratam) Athamanti coniugi regique Thebarum insaniam misisse. Qua re factum esse, ut Athamas (uxorem et filios leaenam cum suis natis credens) Learchum crudeliter necaret. Ut insanum maritum effugeret, Inonem cum Melicerta in aquas desiluisse et Veneris precibus a Neptuno ipsam cum filio benigne susceptam marisque inter deos Leucotheam et Palaemonem appellatos esse. In universum congruunt et SA V, 241 et PG I, 437, quod uncis curvis inclusum invenis, solum apud IA V, 241 exstat. Latina nomina autem legi apud P et S per se non est magni momenti, nam etiam schol. Veron. ad hunc locum A V, 241, quem constat compendium metamorphoseon non adhibuisse, tale quid adnotat, sed quae praebet S et P iam apud Apollodorum I, 9, 2 legis. I dicit etiam Athamantem vel Thebarum vel Orchomeniorum fuisse regem et, cum mentionem facit insaniae regis, dicit „filio dum eum feram credit", quae est formula. Orchomeniorum regem, quem Athamantem Hellanicus apud schol. Apoll. Rhod. III, 265

dixit, ex Ovidio elicere non potuit et, qua utitur I pro certo vocabulo Ovidii *leaena*, formula evicit eum Ovidium ipsum non adisse. Praetera ei qui compendium scripsit ne opus quidem erat Ovidium exhaurire, cum regem Thebarum cum Ovidio etiam Philostephanus apud schol. Hom. *H*, 86, iram Iunonis ob Liberum nutritum ortam etiam Apollodorus III, 4, 3 tradat. Fons igitur idem usurpatus est ab scholiastis et Ovidio.

Phaethon, Solis et Clymenes filius, quod Solis filium non esse eum Epaphus arguerat, a matre ut patrem viseret missus est. Qui cum per Stygiam paludem iurasset se quidquid optasset facturum esse, Phaethon currum patris postulavit et accepit. Sed cum, quod non erat auriga idoneus, orbis terrarum incensus esset, Phaethon Iovis fulmine percussus in Eridanum lapsus est. Quod usque eo ex Ovidio (met. I, 748—II, 380) retuli, etiam SA X, 189 exhibet. Sorores tres fratrem mortuum deplorantes in arbores conversas esse etiam SB VI, 62 et SA VI, 659 praebent. Lacrimae autem, quas sorores fundunt, in electra commutatae in Padum cadunt, ut cum Ovidio exponit solus IB VI, 62. Knaackius quaest. Phaethon. p. 67 demonstravit mythum Phaethontis Ovidianum ex tribus poetis esse compositum: ex Euripide, poeta quodam Alexandrino, Phanocle. Cum igitur S cum Ovidio congruat aut ipsum aut fontem, quem excerptum mythographum fuisse Knaackius mihi persuasit, adhibuisse necesse est. Accedit, quod coniunctio huius fabulae cum Epaphi mytho nisi apud Ovidium non inveniatur, qua re efficitur aut contra Knaackium etiam hoc attribuendum esse fonti [1]), aut in compendium totam fabulam fluxisse ex ipso Ovidio. Praeterea, quae est res gravissima, Ovidius, quamquam numero sorores tres esse dicit, tamen duarum nomina affert: Lampeties et Phaethusae, easdem, quas et scholiasta, nisi quod fortasse vitio pro Lampe*tie* praebet Lampe*tusam*. Duas etiam apud Homerum invenis *μ* 132:

νύμφαι ἐυπλόκαμοι, Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,
ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.

Etiam Phaethontis amicum Cygnum, qui queri non destitit, in olorem conversum esse aut ex Ovidio aut ex eius fonte fluxit in SA

1) Vide quam quaestionem movit Maassius in indice lect. Gryphisw. aest. 1894 p. 15.

X, 189. Cui rei addidit I hunc Cygnum artis musicae peritum a deis inter sidera collocatum esse, quod aliunde originem cepit. Fortasse *καταστερισμὸν*[1]) I sumpsit ex Arati scholio in v. 275[2]) *τοῦτον τὸν ὄρνιν οἱ μὲν λέγουσιν ὄντα κύκνον καταστερισθῆναι εἰς τιμὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ἅτε μουσικὸν ὄντα.*

Quae de flumine Eridani et de nomine Phaethontis SA VI, 659 exhibet, mihi nugae videntur commentatoris[3]). Sed num Knaackius l. l. p. 52, 55 recte dixerit „mero Servii errore debetur, quam ex Lucano II, 416 male intellecto traxit“ dubito. Neque enim intellego quomodo ex verbis Lucani fluxerit ille error.

Syringa Naida Ovidius tradit met. I, 689—712, cum a Pane amata eum fugeret, ad Ladonem flumen venisse et ab sororibus, ut mutaretur, petisse. Quae cum in calamos conversa esset, Pana nonnullis abscisis sibi fistulam fecisse, ut cum ea coniunctus maneret. S, qui B II, 31 (= BB II, 31) hanc fabulam exponit, omisso Ladone fluvio auxilium sororum cum terrae auxilio confundit, quam fortasse quasi alius auctoris sententiam invenit in compendio. Sed quoniam desunt alia testimonia excepto Longo II, 34, cuius fabula plane alia est, sufficit indicare, in compendium hanc narrationem aut ex Ovidio aut ex fonte eius fluxisse.

Midas, rex Phrygiae, cum ad eum ebrius Silenus captus duceretur, gaudio impulsus dies festos celebravit, post quos Silenum Baccho tradidit. A quo cum gratiae referendae causa nactus esset, ut quidquid contigisset aurum fieret, fame vexatus est, nam etiam cibi manibus prensi aurum facti sunt. Itaque cum iterum deum imploravisset, Pactolo flumine lavari iussus misero dono privatus est. Huic Ovidianae fabulae met. XI, 85—145 respondent, quae leguntur IA X, 142, sed immixtum est dubium esse, utrum miseratione an prudentia Midas Silenum servaverit, id quod non magni momenti esse

---

1) Knaackius l. l. p. 62, 71 ut mihi videtur non recte totum scholion et verba S et I ad hoc refert.

2) Vel potius I exscripsit commentarium aliquem Vergilianum, cui cum scholio Arateo idem fons fuerat. Si enim scholia Vergiliana S, I, P perlustraveris et comparaveris, multos catasterismos invenies, qui, quoniam saepius ampliora exhibent quam quae aetatem tulerunt scholia Aratea, ex his fluxisse nequeunt quosque omnes ut metamorphoses ex uno fonte, uno commentario Vergiliano, excerptos conicies. Sed de hac re hoc loco mihi agendum non est.

3) Vide exempli gratia quod dixit de Ciri vel de Scylla biformi SA VI, 286.

censeo, neque Bacchus sed Silenus beneficus fuisse dicitur. Hyginus fab. 191 cum dicat Silenum ad Bacchum esse adductum Ovidio Midam ipsum ducem nominante et addat Liberum patrem ***cum exercitum in Indiam duxisset*** Silenum perdidisse et propter enuntiatum ***Chrysorrhoas appellatur in Lydia*** ex ipso Ovidio hausisse non potest, quamquam Dietzio l. l. p. 44 assentior inesse coloris Ovidiani vestigia. Itaque verisimile est hos tres Ovidium Hyginum I ad unum fontem redire [1]).

Arachne Lydia a Minerva, quacum artificio texendi certavit, victa et laqueo se suspensura in araneam mutata est. Huic Ovidii met. VI, 1—145 fabulae respondent SG IV, 247 et I eiusdem loci, cum quae PG IV, 246 exhibet, Arachnen captivam a Marte Minervae donatam esse, neque apud Ovidium neque apud alium quemquam invenias. Breviter tangitur fabula apud Nonnum XVIII, 215 et XL, 303. Itaque cum P ad Ovidium nullo modo redire possit, S et I eodem iure ad eum, quo ad eius fontem referes.

Iam Procnes et Philomelae fabulam ex Ovidio met. VI, 422—674 exponam. Procne, Pandionis regis Atheniensium filia, quae Tereo, regi Thraciae, (patri auxilium ferenti) nupserat, post quintum annum a marito petivit, ut Philomelam sororem Athenis ad se adduceret. Quo cum Tereus venisset et Philomelam vidisset, amore incensus est. Itaque cum ad Thraciam appulissent, Philomelam in secretam casam tractam compressit et, ne facinus nuntiaret, lingua privavit. Atque cum ipse ad uxorem reversus (Philomelam mortuam esse commentus) esset, Philomela inclusa facinus vesti intextum ad Procnen misit. Qua re accepta postquam clam sororem adpetivit, mater filium Ityn coctum patri adposuit. Deinde (cum post cenam Philomela caput

---

1) Dietze l. l. p. 44 adn. 2 praeeunte Rohdio Gr. Rom. p. 204 vult I Theopompum auctorem in hac fabula ad A X, 142 narrata sequi. Sed primum nihil earum rerum, quarum testis Theopompus B VI, 13 et 26 advocatur, hoc loco legitur, tum, quod Theopompi est ***postea vinculis sponte labentibus liberatum***, contradicit I verbis ***miseratione vel prudentia eum et resolvi fecit.*** Immo facilius censebis per I vel eius fontis neglegentiam Bacchum beneficum intercidisse, quem Ovidius et Hyginus exhibent (atque vide tenorem quasi incertum scholii ut ***omni adfabilitate fovit*** et ***ex praecepto***) — aut e duobus nominibus beneficorum deorum, quae exstabant in compendio, Silenum electum esse —, sed ut cautius rem agas sententiam, quam supra de Ovidio Hygino I protuli, tuam facies. Neque tamen Theopompus diversa fabulae forma atque qua hi usus esse videtur, cum Midam cum Sileno disputantem fingeret.

Ityis apportasset) pater furore commotus, ut filium mortuum ulcisceretur, gladio stricto persecutus est sorores. Tum omnes in aves abierunt, Tereus in upupam, Procne et Philomela in lusciniam et hirundinem. Quae curvis uncis inclusi, apud IB VI, 78 inveniuntur, reliqua etiam apud SB VI, 78 et BB VI, 78. Dissentiunt autem B et I hic uxorem caput pueri patri monstrantem faciens, ille Philomelam. S abhorret verbis non plane perspicuis „suo cruore descriptam“ et BB VI, 78 (= PB VI, 78) et S addunt Ityn in fassam mutatum esse. Praeterea est magnus dissensus inter scholiastas, utra mulier in hirundinem, utra in lusciniam abierit. Nam et ipse Ovidius in medio reliquerat, quae aves singulae sorores factae sint et apud alios antiquos scriptores contentio est. E scholiastis autem SB VI, 78, BB VI, 78, PG IV, 15 Procnen in hirundinem, Philomelam in lusciniam converti faciunt, at vice versa mutationem tradunt BB VI, 79, PB VI, 78 et G IV, 15

Hirundinem Pandionis filiam iam Hesiodus op. 568 commemorat (*τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν εἰς φάος ἀνθρώποις*) et Sappho frg. 88. Num Hesiodo, ut vult Prellerus gr. Myth. II, 142, plus notum fuerit, mihi dubium videtur, cum apud Aelianum V. H. XII, 20 qui Hesiodeam fabulam praebet, fabula non obliqua sed directa oratione continuetur. Aeschylus Agam. 1142 sqq. et Suppl. 60—67 mentionem facit lusciniae Terei uxoris, qui filium Ityn ira necatum gemat absque accipitre infestetur [1]).

Tereum Thracem praeter Ovidium et Hyginus fab. 54 et Apollodorus III, 14, 8 praebent, Tereum auxilium tulisse socero Apollodorus, ex uxoris precibus sororem invocatam, ut in Thraciam veniret, schol. Aristoph. av. 212 et Achill. Tat. V, 5. Membra Ityis post cenam patri apportata esse fortasse concludis ex Cononis narratione 31 *μαθὼν τοῦ δείπνου τὸ μύσος ὑπ' αὐτῆς Πρόκνης*, certe habes apud Achillem Tatium *αἱ δ' ἐν κανῷ τὰ λείψανα τοῦ παιδίου παρέφερον*. Procnen in lusciniam et Philomelam in hirundinem mutatam esse invenis apud vetustissimos auctores (cf. Preller Gr. Myth. II p. 142 adn. 3), sororum personas latini demum poetae mutaverunt.

---

1) De Sophoclis tragoedia Tereo aegre ferimus ex fragmentis nihil ad fabulam restituendam sumi posse.

Vulgaris igitur fabula invenitur apud scholiastas, ut non opus sit compendium Ovidium excerpsisse. Quaeritur, num quis scholiastarum inspexerit Ovidium. I tradit in stabulis Tereum inclusisse Philomelam, quod et Ovidius v. 521 exhibet, sed etiam naufragium, quod deest apud Ovidium (cf. v. 565 ***commentaque funera narrat***), et Procnen facit ferentem capita et pedes contra Ovidium caput praebentem — quocum consentit B qui ex Ovidio fortasse hausit —; itaque I Ovidium inspexisse nequit. Tum I inseruit aliam narrationem eandemque, quam praebet PB VI, 78, Tereum morte Procnes ficta Philomelam in matrimonium petisse.

Accedit quod B de stemmate Ityis dubitat; nam haec exhibet

BB VI, 78: APTVS Ituis filii Nerei vel Terei. Procne Pandionis filia uxor Nerei, Thracum regis, cuius filius Itus.

BB VI, 79: Procne uxor Nerei; Philomela Terei; aliter versa vice.

Sed hic Nereus, quem quantum equidem sciam nusquam alibi invenis, praesertim cum sit cum verbo Tereus homoteleuton, inicit suspicionem evasisse per neglegentiam alicuius excerptoris.

Reliquum est, ut de Ionis fabula pauca dicam. Ionem reddit Ovidius met. I, 567—747 Inachi filiam a Iove compressam Iunone adveniente in vaccam mutatam esse. Cuius cum a Iunone Argus, filius Arestoris, centum oculorum custos factus esset, a Mercurio fistula sopitus interfectus est. Sed Iuno, postquam Argi oculos in pavonis cauda collocavit, Ioni furiam misit, totumque per orbem terrarum pepulit. In Aegypto tandem precibus Iovis quiete recepta in Isidem deam mutata est. Quae cum Ovidio communia sunt SG III, 152, SA VII, 790, IA VII, 790, IG III, 153, qui solus A VII, 790 Mercurium fistula canentem praebet. Contra omnes consentiunt Ovidiana furia neglecta Iunonem oestrum Ioni misisse. Ex Vergilio hoc profectum esse supra p. 13 demonstravi. IA VII, 790 addit Argum Terrae filium esse, quod et apud Acusilaum (apud Apollod. II, 1, 3) et Aeschylum Prom. 678 et 568 *γηγενῆ* nominantes invenis, ***quem Graeci Panopten appellant***, quod Apollod. II, 1, 2, 2 habet, praeterea cantu fistulae Argum in somnum compulsum esse, quod solus Ovidius praeter Valer. Flacc. IV, 384 exhibet. Hoc potuit ex Ovidio ipso I sumere, sed verisimile est indidem sumpsisse, unde reliqua hauserit, qua de causa non probatur

inspexisse Ovidium. Itaque concludendum est in compendio frustula exstitisse Ovidiana. Quaeritur num tota reliqua narratio fluxerit ex Ovidio. Abhorrent scholiastae ab Ovidio centum oculos praebente cum Apollodoro (*εἶχε δὲ οὗτος ὀφθαλμοὺς μὲν ἐν παντὶ τῷ σώματι*) et Hygino (fab. 145) Argum oculatum omnibus membris commemorantes (S).

Ionem Inachi filiam iam Castor apud Apollodorum II, 1, 3 tradit, Argum filium Arestoris Pherecydes apud Apollod.; oestro agitatam Ionem Apollodorus; oculos Argi in pavonis cauda positos antiquissimus testis est Moschus 2, 59. Totam fabulam huiusmodi primus Apollodorus l. l. narrat, sed certum est iam multo antea pervulgatam esse (ab Hesiodo?). Itaque qui compendium composuit ex Ovidio fabulam hauserit necesse non est.

Hoc loco nonnullas fabulas adnectam, quae eiusmodi sunt comparatae, ut in universum congruant cum Ovidio, sed rem amplius Ovidio tractent ita, ut non alius narrationis particulas immiscere sed eandem rem accuratius reddere videantur. Quas omnes non ad Ovidium sed ad eius fontem referes. De Lycaone Ovidii haec est fabula: Lycaon, qui Iovi carnem humanam, ut epularetur, apposuerat, postquam aedificia eius fulmine diruta sunt, in lupum commutatus est. Quo facto Iuppiter cum deis deabusque constituit homines perdere. Ab hac narratione discedit I ea re, quod patrem filio (cum Ovidius hominem quendam dicat) Iovi apposito fulmine necatum esse tradit, cum apud Ovidium in lupum abeat. Filium appositum atque a filiis non a patre mactatum dicit etiam Tzetz. Lycoph. 482: *οἱ δὲ τούτου υἱοὶ ἀπόπειραν ποιούμενοι εἰ θεός ἐστι, κρέα κομίσαντες καὶ τὰ Νυκτίμου κρέατα συμμίξαντες τοῖς ἄλλοις κρέασι, παρέθηκαν τῷ Διί.* Nyctimus autem secundum Pausaniam VIII, 3 et Apollodorum III, 8, 1. 2 filius est Lycaonis. Apollodorus tradit cum filii Lycaonis *σφάξαντες ἕνα τῶν ἐπιχωρίων* eum temptassent, Iovem *κεραυνῶσαι Λυκάονα καὶ τοὺς παῖδας.* Idem de scelere filiorum Hyg. fab. 176 praebet et patrem mutatum. Recte intellexit Maassius in indice lect. Gryphisw. aest. 1894 p. 16 duas fabulas exstitisse, in quarum altera pater, in altera filii scelus in Iovem commiserint, qua de causa in hac historiola filii fulmine necati essent, in illa pater aut fulmine ictus aut mutatus. Has fabulas Ovidius Hyginus Apollodorus is qui syllogen Mediceam composuit, compendium ex quo I hausit vel consulto vel vitio miscentes, ex communi fonte excerpsisse videntur.

IB VI, 41 Iuppiter, cum perosum haberet propter feritatem Gigantum genus humanum, scilicet, quod ex illorum sanguine editi erant mortales, diluvio inundavit terras omnesque homines necavit, exceptis Pyrrha et Deucalione, qui in monte Atho liberati sunt. sed hi ex responso Themidis saxis post tergum iactis genus hominum reparaverunt, et Pyrrha quidem reparavit feminas, Deucalio mares. alii dicunt Iovem Lycaonem, quod ei filium suum apposuit epulandum, ipsum quidem fulmine peremisse, fecisse vero diluvium, quo homines perirent exceptis Pyrrha, Epimethei filia, et Deucalione, Promethei filio, qui Parnasi montis altitudine defensi a diluvio sunt et hominum genus, ut supra dictum est, reparaverunt.

PG I, 60 Deucaliona putant Promethei filium fuisse et habuisse in matrimonium sororem patruelem Pyrrham, Epimethei filiam, iis temporibus, quibus ira Iovis inundata Graecia cataclysmo perdidit humanum genus. Qui cum perlati essent in montem Parnasum, cuius tantum duo vertices eminebant et ibi esset oraculum Themidos, intraverunt adorantes, quem ad modum possent restitui homines. Quibus responsum est iactanda esse iis ossa parentis magnae post terga discinctis capitibusque velatis. Interpretati autem cum essent terram parentem, ossa eius lapides iecerunt post se, ex quibus hominum genus renatum est: cuius etiam Ovidius meminit ......

Exstat Ovid. met. I, 151 sqq. et 253—415 e sanguine Gigantum genus humanum erga deos impium ortum a Iove diluvio misso perisse. Solos Deucalionem et Pyrrham ad cacumen Parnasi montis navicula appulsa servatos deos montis et Themidem implorasse, quibus orantibus Themidem imperasse, ut membra „parentis" velatis capitibus post terga iacerent. Sensu a Deucalione intellecto matrem esse terram, ex lapidibus iactis a Deucalione viros, a Pyrrha feminas ortos esse. Totam narratiunculam et Ovidii nomen habet solus PG I, 60 excepta ea re Deucalionem intellexisse oraculum. IB VI, 41, quamquam in universum congruit, aliunde immiscuit montem Atho loco Parnasi, cum in fabula Lycaonis recte exhibeat Parnasum. Mihi autem persuasi apud I duo excerpta compendii nos habere, alterum quod etiam P de diluvio, alterum de Lycaone et de diluvio. Hoc saepe, si perlustraveris scholia, invenies; cf. Scyllae fabulam et Inii fabulam quodque ad hanc dixit Wentzel Philol. LI p. 52 sqq. Sed hoc loco non id, quod Wentzel l. l. vult, factum esse credo, scholiastam unam rem ipsum discerpsisse, sed ex diversis commentariis duo ex-

cerpta contulisse. Cum Ovidio vinculo quodam I coniunctum esse evincitur ea re, quod et apud Ovidium et apud I fabula diluvii cum Lycaonis cohaeret. Simile quid tradit Apollodorus III, 8, 2, tamen discrepat non propter patris sed filiorum scelus diluvium ortum dicens *τοῦτον ἔνιοι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.* Ad certum redigitur cum Ovidio artiore hoc scholion astringi vinculo eis rebus, quae apud nullum alium legis: homines ex sanguine Gigantum natos (I) et oraculum Themidis (I et P). Aut igitur in compendium fabularum, quod exhausit scholiasta, fluxit fabula Ovidiana, aut compendium et Ovidius ad communem redeunt fontem, quod probabilius esse videtur, cum fabula Lycaonis, ut supra p. 48 demonstravi, non ex Ovidio, sed ex eius fonte hausta sit.

Quae de Anio eiusque filiabus in columbas versis IA III, 80 tradit, simillima sunt Ovidio XIII, 632—674; est autem Ovidii fabula haec: Anius, rex Deli et Apollinis sacerdos, habuit quattuor filias, quibus Liber dederat, ut quidquid contigissent in frumentum, vinum, oleum mutaretur. Qua re audita cum Agamemno, ut vi atque armis ad copias alendas auferret, venisset, quoniam fugere volebant, vinctae sunt. Vinctae auxilio a Baccho petito in columbas mutantur. Etiam finem scholii cum Ovidio cohaerere apparet. Nam Ovidius met. XIII, 646:

Quod enim mihi filius absens
auxilium, quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet, pro patre locumque et regna tenentem?

et facit Anchisen dicentem v. 640:

cum primum haec moenia vidi.

Non magni momenti est hunc Agamemnonem ipsum venisse, scholiastam misisse, qui eas accerserent, tradere, nam notum est illud tironibus tritum, quod quis per alium fecit, ipsum fecisse dici. Praeterea abhorret Ovidius a scholiasta, cum hic tres ille quattuor filias fuisse dicit, deestque apud eum Anius Apollinis filius et *αἴτιον.* Demonstravit Wentzel Philol. LI p. 46 Ovidium redire ad excerptum mythologicum, cuius summa fuerit *αἴτιον* Callimacheum, quod, cum Ovidius poeticis causis commotus mutaret, scholiastam servasse. Etiam Anii filiam ab Aenea stupratam ex hoc excerpto fluxisse sibi persuasit, ex qua Ovidius addita narrationi primariae quartam sibi finxisset sororem scholiasta tres tradente. Cuius rei auctorem Palaephatum I affert,

— verisimile autem est haec in *Τρωικοῖς* exstitisse — hanc idem vir doctus censet ipsum I addidisse neque autem est cur non ex eodem fonte sumpserit.

Phyllidis narrationem ex Ovidio sumptam esse nequire iam supra p. 23 evici. Nihilo setius, quae SB V, 10 et B praebent consentiunt cum fabula Ovidiana. Knaackius Anal. Alex.-Roman. p. 39 sqq. narrationem Phyllidis, quae apud Ovidium in Remediis Amoris et Heroidibus exstat ad Callimachum refert. Explicatur consensus ea re, quod, quae inter utrumque et Ovidium et scholiastam sunt communia, etiam in fontem scholiastae i. e. in compendium ex Callimacho fluxerunt. Finem narrationis scholiastae Knaackius a Callimacho abhorrere contendit, sed, cum nullo alio loco inveniatur reditus Demophontis et Phyllis virescens, unde sumpta sint, in medio relinquamus, veriloquium *φύλλων* a Phyllide derivatorum, quod S et Hyg. fab. 59 exhibent, communi fonti non poetae sed grammatici Knaackio assentior attribuendum. In scholiis B et apud Iunilium — quo loco per coniecturam in lacunam insertum est — et apud anonymum Phyllis Lycurgi sive Sithonis filia exstat, eodemque modo apud utrumque Demophon Adrasti filius appellatur apud anonymum verbis „vel Thesei" additis, cum S Theseum patrem Demophontis, I Sithonis filiam Phyllidem nominet. Theseum patrem ubivis legere potes, sed Adrastum nusquam alibi nisi apud scholiastam. Sithonis filia, cum nemo alius quam Ovidius exhibeat, facile ab I Ovidio inspecto fabulae S inserta esse potest. Eodem modo et B ex ipso Ovidio Sithonem sumere potuit et Lycurgum patrem: nam facile ex Ovidii Her. II, 111 verbis *quae tibi subieci latissima regna Lycurgi* elici potuit. Neque tamen verisimile est et I et B ipsum Ovidium inspexisse, sed verisimilius et Lycurgum et Sithonem in communi fonte et Ovidii et scholiastarum exstitisse.

Apollo, cum a corvo certior factus esset a Coronide, quem amaverat, se decipi, ipsam sagitta percussit. Sed cum gravidam servare non posset, filium morti eripuit, corvum iratus, qui olim albus fuerat, nigrum fecit. Huic narrationi Ovidii met. II, 531—632 respondent, quae de Coronide apud SA VII, 761 legis, sed additus est corvus Coronidis custos et filius exsecto matris ventre natus. Quaestio solvitur, si accedimus sententiae Wilamowitzii Isyllos 82, 55, hypothesin Hesiodeae Eoae usurpatam ab Ovidio in carmine suo faciendo Servium retulisse in universum accurate.

Met. XIII, 749—897 apud Ovidium hanc invenis fabulam: Acis et Galatea, quae a Polyphemo amabatur, cum olim rupibus tecti in litore iacerent, Polyphemum querentem et amorem a Galatea petentem audiverunt. Quibus Polyphemus conspectis Galatea in mare fugiente Acim lapide magno percussit. Tum ex sanguine amati Galatea elicuit aquam Acimque in flumen vertit, cui vetus nomen est inditum. Ab hac narratione dissentit SB IX, 39 Acin in fontem conversum esse dicens, cum IB VII, 37 recte flumen ex sanguine ortum praebeat.[1])

S propter Acim in fontem conversum et illud corruptum additamentum *Acilius* ad Ovidium redire non potest. I Ovidium adhibuisse potest sed verba ***vim adhibere conatus*** et ***cum eam de mari non posset evocare*** ad alium fontem spectare videntur.

SG III, 93 dum cum amata Philyra Saturnus coiret, Ops eius uxor advenit. cuius praesentiam veritus se in equum convertit, qualem potuit numen imitari. exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus... Saturnus, cum Philyram, Oceani filiam, in Thessalia adamasset et cum ea coiret, adventante uxore se in equum, illam in equam convertit atque ita uterque opprobrium effugerunt. hinc natus est Chiron centaurus. quidam Philyram in florem conversam dicunt vel in arborem, unde liber philyrinus dicitur, quo coronae illigantur.

PG III, 92 Saturnus Philyram, Oceani et Tethyos filiam, existimatur adamasse et cum ea se mutasset in equam, ut eum falleret, ille quoque in equum transfiguratus cum ea concubuit: ex quibus natus est Chiron doctissimus centaurus.

Ovidius met. VI, 126 Saturnum in equum mutatum compressisse feminam, quae inde pepererit Chironem centaurum, quem ipse alio loco (II, 676) Philyreium heroa dicit, id est Philyrae filium. Ex his tenuibus verbis haustum esse nequit, quod scholiastae de hac re tradunt. Primus Chironem ex equo Saturno et Philyra procreatum exhibet Pherecydes et auctor gigantomachiae apud schol. Apoll. Rhod. I, 554. Puto postea accessisse hoc ideo factum esse, quod Saturnus adventantem uxorem vereretur, id quod Vergilius G III, 93 et S (= schol.

1) Hoc loco addere liceat etiam VB VII, 37 de Galatea a Polyphemo amata adnotare.

Apoll. Rhod. II, 1231) exhibent. Etiam I hoc tradit sed, ut ego puto, non iure. Nam P dicit, ne Saturnus cum Philyra coiret, hanc se in equam mutasse. Quacum narratione IG III, 93 aliud miscens adductusque verbis Vergilianis l. l. ***adventante Ope*** receptis Saturnum et se et Philyram in equos mutasse narrat. Si nihil aliud atque hanc rem dicere I in mente fuerat, ex usu suo in S fabulam post verba ***se in equum*** inseruisset exempli gratia: aut ambos in equos. Ex I autem BG III, 93 hausisse videtur et rem amplius depravasse, cum dicit Opem et Saturnum et Philyram in equos transformasse.[1])

Cum Ovidius met. IV, 276 reddat haec

> vulgatos taceo ... pastoris amores
> Daphnidis Idaei, quem nymphe paelicis ira
> contulit in saxum,

IB VIII, 68 praeter hanc, cui inserit nomen nymphae Nomiae et paelicis Chimaerae, complures alias narrationes refert, quae nunc in censum non veniunt. Stollius apud Roscherum Lexic. mythol. I p. 957 haec attribuit antiquissimae fabulae formae, quam Stesichorum aliosque narrasse credit. Age credamus, quamvis nulla alia huiuscemodi fabulae vestigia inveniamus, Ovidio fabulam vulgatam fuisse. Tum facile et Ovidius et compendium ex eodem fonte sumere potuerunt.

Ex versibus Ovidii met. XV, 336 sq.

> ***tempusque fuit, quo navit in undis:***
> ***nunc sedet Ortygie***

et VI, 108

> ***fecit et Asterien aquila luctante teneri***

concludes fortasse Ovidio eandem notam fuisse fabulam, quae exstet apud SA III, 73 „post vitiatam Latonam Iuppiter cum etiam eius sororem Asterien vitiare vellet, illa optavit a diis, ut in avem converteretur: versaque in coturnicem est. et cum vellet mare transfretare, quod est coturniceum, adflata a Iove et in lapidem conversa diu sub fluctibus latuit. postea supplicante Iovi Latona levata superferri aquis coepit.“

Asteries in Ortygiam mutatae primus mentionem facit Callimachus hymni in Delum 37. Latius rem tractant Tzetzes Lycoph. 401, Apollodorus I, 4, 1, Hyginus fab. 53. Sed Asterien petisse, ut mutaretur, et mutatam esse in lapidem solus S dicit.

---

1) Philyram in arborem commutatam esse Philyram id est tiliam etiam apud Hyginum fab. 138 legis.

De Latona in ortyga mutata, unde nominata sit Delos insula, et IA III, 73 et VG III, 6 soli tradunt. Idem in lacunam VA III, 693 inserendum esse censeo, ubi nunc legis: „Naxos prius appellata | Ortygia —— apposita — esse dicta ab eo quod | Latona fugiens draconem Pythonem in coturnicem mutata, quae graece ὄρτυξ dicitur, in eam evolaverit."

Hoc est unicum vestigium metamorphoseos in scholiis Veronensibus. Itaque puto hanc fabulam non exstitisse in compendio sed I, quem cum V multis locis ad unum fontem redire vides,[1]) ex hoc communi fonte sumpsisse.

Nunc transeo ad eam partem fabularum, quae in universum non congruunt cum Ovidio, sed insunt particulae, quae cum Ovidianis fabulis comparari possunt.

SB VI, 74 altera vero Scylla fuit Nisi, Megarensium regis, filia. contra quos dum devictis iam Atheniensibus pugnaret Minos propter filii Androgei interitum, quem Athenienses et Megarenses dolo necaverant, adamatus a Scylla est, Nisi filia, quae, ut hosti posset placere, comam purpuream parenti abscisam ei obtulit, quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. postea et Scylla a Minoe contempta, vel dolore, quod contempta esset, vel (quod) quasi parricida a Minoe ad puppim religata tracta sit, in avem Ci-

PB VI, 74 Nisi, regis Megarensium, crinem habentis aureum eundemque fatalem urbem Minos, rex Cretensium, impugnabat. sed Scylla, Nisi filia, pulchrum Minoem e muris prospectavit et adamavit et dormientis crinem patris amputavit et hosti detulit petens praemium nuptias. at ille parricidam refragatus uxorem obsidium solvit, quoniam hostem aeque manibus filiae perditum videbat. sed Nisus, ubi facinus cognovit, filiam necaturus persequebatur ac diis miserantibus, ne et ille faceret parricidium, demutati sunt in aves, Scylla in Cirin, ut facinus etiam nomine declaret.

BB VI, 74 Nisus, Megarensium et Sicyoniorum rex, a Minoe, Cretensium rege, propter Androgei, filii sui, obitum, quem Athenienses et Megarenses dolo circumventum occidissent, graviter oppugnabatur. sed Scylla, filia Nisi, adamavit Minoem patris scilicet hostem et patri dormienti crinem fatalem purpureumque abscidit, ut Minoi, hostium regi, cuius amore flagrabat, daret, quo absciso pater periit. atqui Scylla a Minoe non recepta, qui hoc genus victoriae execratus eam in mare deiecit, in avem, quae „ciris" dicitur, latine vero „tonsilla" conversa est. item pater eius Nisus in Haliaeetum con-

1) Cf. VA II, 164 = IA II, 166, VG IV, 524 = IG IV, 522, VA II, 165 = IA II, 166, VG IV, 463 = IG IV, 462, VA II, 717 = IA II, 636, VA II, 687 = IA III, 359, V. A X, 183 = IA X, 183.

rim conversa est, et Nisus extinctus deorum miseratione in avis mutatus est formam.	versus, qui parricidii exsequens poenas Cirin hostili mente persequitur.

SA VI, 286 nam et illa Nisi secundum alios in avem conversa est, secundum alios in piscem. ergo etiam ipsa biformis fuit sicut haec in Siciliae freto.

De Scylla, Nisi Megarensium regis filia, haec habes apud Ovidium VIII, 1—151: Scylla cum Minos rex propter Androgeum filium necatum — de hac re conferendum met. VII, 453 sqq. — Megarensibus bellum inferret, amore Minois incensa patris purpureos capillos, magnam fiduciam regni (v. 10) et patri vitales (v. 85), abscisos Minoi obtulit. Quo facinore vituperato cum Minos obsidione finita vela daturus esset, desperatione commota Scylla navem eius bracchiis complexa est et cum a patre iam in haliaeetum commutato peteretur, ipsa commutatione Ciris avis facta est et a tonso est hoc nomen adepta capillo. Optime hanc narrationem refert BB VI, 74. Hic solus exhibet nomen patris conversi et patrem odio filiam persequentem, cum ex PB VI, 74 verbis facile conicias patrem ante mutationem necaturum fuisse. B abhorret ab Ovidio dicens patrem post abscisos capillos mortuum esse, quod etiam apud Apollod. III, 15, 8 invenis, sed Nisum regem Sicyoniorum fuisse solus B testis est. Scyllam in piscem abisse cum SA VI, 286 etiam Hyginus fab. 198 praebet. Cum recte SB VI, 74 et BB VI, 74 patrem habuisse comas purpureas dicant, apud P aureos capillos invenis, qui ex alia narratione, quae exstat apud Tzetz. Lyc. 650 et schol. Eur. Hippol. 1199, sumpti sunt. I addit narrationi S ad puppim alligatam per mare tractam esse Scyllam, id quod fortasse latet sub illis verbis B a Minoe Scyllam in mare deiectam esse,[1]) et etiam apud Tzetz. Lyc. 650, Apollod. III, 15, 8, schol. Eur. Hipp. 1199, Prop. IV, 18, 21 sqq. invenis.

Scyllae narratio primum occurrit apud Aeschyl. Choeph. 613, ubi etiam *ἀθανάτῃ θρίξ* legitur et donis Scyllam commotam esse, et verisimile est Callimachum hanc rem tractasse (cf. Schneiderum Call. II p. 111 sq.). Tum exstat Parthenii fabula (apud Meinekium Anal. Alex. p. 270) ex Eustathio ad Dionys. Perieg. 420: ***Μίνως λαβὼν τὰ***

1) Nisi est eadem ac Pausaniae II, 34, 7 narratio: *ὡς γαρ δὴ τὴν Νίσαιαν ὁ Μίνως καὶ τὰ Μέγαρα εἷλεν ἐκείνης προδούσης, οὔτε γυναῖκα ἕξειν αὐτὴν ἔτι ἔφασκε καὶ προσέταξε τοῖς Κρησὶν ἐκβάλλειν τῆς νεώς....*

Μέγαρα διὰ Σκύλλης τῆς Νίσου θυγατρὸς ἐρασθείσης αὐτοῦ καὶ ἀποταμούσης τὴν τοῦ πατρὸς κεφαλὴν[1]) *ἐνενοήσατο, ὅτι ἡ τὸν πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἂν ῥαδίως φείδοιτο, καὶ διὰ τοῦτο προσδήσας πηδαλίῳ νηὸς τὴν προδότιν καὶ πατροφόντιν ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης καὶ αὐτὴ μὲν εἰς ὄρνεον μετεβλήθη ὥς φησι Παρθένιος ὁ τὰς Μεταμορφώσεις γράψαι λεγόμενος.*

Ex hoc loco omnes, qui de hac re agunt, pendere videntur et poetae auctor Ciridis Propertius Ovidius et mythographi Apollodorus Hyginus Tzetzes scholiastae Vergiliani. Sed patrem in avem mutatum soli Ovidius et Hyginus tradunt. Quod quominus ab ipso Ovidio inventum esse putes, prohibet nomen graecum haliaeeti, quod efficit, ut verisimile videatur Ovidium ex fonte suo sumpsisse. Itaque quae sunt inter Ovidium et scholiastas communia, ad communem fontem referes.

Cum Ceres, ut Ovidius met. V, 462—571 narrat, de Proserpina filia amissa certior facta adorasset Iovem, is ei, ut ad superos rediret, si apud inferos nihil comedisset, permisit. Sed Proserpina septem punicei mali grana gustaverat solo Ascalapho, Acherontis et Orphnes filio, praesente. Qua re nuntiata cum is reditum ad irritum redegisset, a Proserpina in bubonem mutatus est. Optime huic fabulae respondet PG I, 36, nam, quamquam ab Ovidio septem grana praebente abhorret tria dicens, tamen is solus parentes tradit. Contra cum SG I, 39 solum patrem Stygem memoret, IA IV, 462 exhibet Acherontem vel Stygem patrem. Quis autem Ascalaphum mutaverit cum ceteri taceant, I dicit non ut Ovidius Proserpinam sed ira Cereris factum esse. Orphnen matrem cum solus Ovidius praebeat, necesse est si non totam fabulam exceptis rebus ab Ovidio alienis tamen Orphnen matrem ex Ovidio aut fonte eius fluxisse in compendium aut P, id quod verisimile esse non videtur, hanc rem ex Ovidio ipso sumpsisse.

Ovidius narrat met. XIII, 576—622, cum Memno, qui patruo auxilio venisset, occidisset, Aurorae precibus eius cineres in Memnonidas aves commutatos esse. Has aves quotannis ad sepulcrum reversas inter se pugna facta se dilaniasse. Contra IA I, 751 tradit Memnone mortuo cum socii queri non desinerent, in has aves conversos esse.

---

1) Rectius scholion habet *ἀποτεμούσης τῆς κεφαλῆς τοῦ πατρὸς τὸν μόρσιμον πλόκαμον*, cf. Meinekius l. l.

Quaeritur utrum pars alienae narrationis immixta sit Ovidio an tota aliunde fluxerit. Antiquissimus scriptorum testis et Moschus 3, 42 *οὐ τόσον ἰδαίοισιν ἐν ἄγκεσι παῖδα τὸν Ἀοῦς ἱπτάμενος περὶ σᾶμα κινύρατο Μέμνονος ὄρνις.* Antiquius testimoninm praebet Pausanias X, 31, 6 qui Polygnotum aves Memnonidas pinxisse dicit. Itaque conicias iam in epicis carminibus hac de re actum esse. Quod si est verum, assentior Hollandio Heroenvögel in der griechischen Mythologie, Leipzig 1895, p. 4 ex epico carmine fluxisse Quinti Smyrnaei (II, 642 sqq.) narrationem, quae est eadem ac scholiastae. Quae exstant de Memnone sunt vulgaria (cf. epit. Apollod. 5, 3) et redeunt ad Arctini Aethiopida excepto dono vitis aureae, quod nusquam alibi legis. Itaque censeo excerptum aliquod ex hoc carmine epico fluxisse in compendium. Neque tamen Ovidium abhibitum esse plane reiciendum est, nam apud I exstat, quod nisi apud Ovidium apud neminem invenis, matrem Auroram mortem Memnonis matutino rore flere.

SB III, 63: nam scimus et Daphnen, Ladonis fluminis Arcadiae filiam, dilectam ab Apolline et Terrae miseratione in laurum conversam...

IA III, 91 fabula sane de lauro talis est: Daphne, Penei vel, ut alii dicunt, Ladonis filia, ab Apolline adamata est. a qua cum precibus et promissis non potuisset Apollo, ut secum concumberet, impetrare, vim ei adhibere conatus est, cumque eam insequeretur et illa fugiens defecisset lassata, Terrae imploravit auxilium. quam Terra hiatu facto recepit et pro ea arborem edidit, quae graece nomen suum retinuit, latine laurus dicitur. sed Apollo eam etiam mutatam ita dilexit, ut tutelae suae adscriberet efficeretque, ut propter virginitatem servatam semper vireret.

IA II, 513 Daphne filia Ladonis, fluvii Arcadiae, et Terrae fuit, quae aspernata viro iungi semper venatibus operam dabat. hanc cum Apollo adamasset et eam, ut comprimeret, insequeretur, illa a Terra matre petit auxilium: quae recepta (a) matre est, nec multo post † in locum eius arborem lauri nasci.

PB III, 62 Laurum ei gratam accipere debemus, quod Daphnen, ut vult Parthenius in volumine, quod ei de

BB III, 12 Daphnis, Amyclaei filia, ab Apolline adamata. quae cum fugeret vim amatoris in laurum conversa est....

amantibus compositum est, Amyclesi filiam, dilexit (sc. Apollo), quam, ne per vim stupraret, Iuppiter in arborem laurum convertit.

alii dicunt Daphnim, unam de nymphis, ab Apolline vitiatam et prae pudore, ne apud sorores esset infamis, ab Iove petiisse, ut in laurum verteretur. ex ea arbore Apollinem diadema amoris gratia sibi parasse, quod virens est semper ut sol novus.

De Daphne Ovidius met. I, 452–567 haec exhibet: Daphne, Penei filia, quae venationi operam dabat neque unquam se nupturam esse sibi proposuit, ab Apolline amata est. A quo cum precibus fatigaretur, Daphne fugit, sed cum fessa deum quendam [1]) invocaret, in laurum commutata est. Tum Apollo arborem suae adscripsit tutelae fecitque propter castitatem semper virentem. Partes narrationis apud scholiastas valde disiectas invenis. Penei filiam solus exhibet IA III, 91 idemque hoc loco et A II, 513 et SB III, 63 Ladonem patrem, id quod aliunde petitum esse necesse est. Reliqua venatricem, noluisse nubere apud IA II, 513, Apollinis preces A III, 91, quaeque fecerit Apollo post mutationem, ibidem habes. Quis primus et quando fabulam invenerit, erui non potest. Quae exstant apud I de Daphne a Terra recepta et de lauro emissa alium fontem redolent, ex quo et Tzetzes Lyc. 6 et Hom. schol. *Α* 14 et Hyg. fab. 203 hausisse videntur [2]). Qui cum etiam in universum et cum Ovidio et cum scholiastarum narratione congruant, tamen sunt res vulgares, quibus non efficiatur compendium decerpsisse ex communi fonte eorum quos attuli. Sed duae res cogunt, ut ex Ovidio vel eius fonte quaedam in compendium fluxerint: Penei filia, quam solus Hyginus et Ovidius, et *aspernata viro iungi semper venatibus operam dabat*, quod solus Ovidius tradit.

Num quae ex Parthenio c. 15 PB III, 62 exponit iam in communi scholiastarum fonte exstiterint dubium est, neque tamen sine aliqua veritatis specie esse videtur, cum huius rei etiam apud BB III, 12

1) Duas recensiones Ovidiani libelli hoc loco commixtas esse E. Maass comm. mythogr. p. 20 (in indice lect. hib. Gryphisw. 1886/7) docuit, quarum altera Daphnen a Tellure, altera a patre auxilium petentem exhibuerit.

2) Si statuimus eum, qui compendium composuit, legisse haec Ovidii verba 544 sq.: *Victa labore fugae Tellus ait hisce vel istam quae facit, ut laedar, mutando perde figuram*, factum esse potest, ut ex verbo Ovidiano *hisce* eliceret Daphnen a Terra receptam esse. Sed verisimilius est, cum apud eos, quos supra attuli, rem latius tractatam invenias, ad communem fontem hanc rem redire.

duo excerpta invenias, quocum P artiore vinculo cohaerere adhuc non investigavi.

IB X,18 in Cypro insula regnavit Cinyras habens filiam Myrrham nomine. quae Solis ira in amores incidit patris, cum quo etiam ministerio nutricis concubuit. namque nutrix Myrrhae dixit Cinyrae esse quandam puellam, quae eius amore flagraret et concubitum nocte in tenebris propter verecundiam expeteret virginalem. hoc Cinyras incitatus libidine pollicitus est. cupiens deinde videre vultus puellae, lumen iussit inferri visamque filiam persequi cum gladio coepit, ut interficeret. quae gravida de patre confugit in silvas ibique mutata est in arborem nominis sui. sed infantem conceptum etiam in cortice retinuit

et postmodum dente apri excisum emisit in lucem. qui a nymphis eductus Adonis cognominatus est. quem quia Venus adamavit, Mars in aprum transfiguratus occidit. quem multi miseratione Veneris in rosam conversum dicunt.

IA V,72 Myrrha Cinyrae filia, cum adamasset patrem et eius se stupro nocturnis horis captata ebrietate paterna subiecisset, gravidaque de eo esset facta,

prodito incesto cum patrem insequentem se stricto gladio fugeret, in arborem conversa est.

quae cum infantem, quem intra uterum habuerat, etiam in cortice retineret, percussa, ut quidam volunt, a patris gladio, ut quidam, ab apro parvulum edidit, quem educatum nymphae Adonem apellaverunt.

hunc Venus vehementissime dilexit, et cum ira Martis ab apro esset occisus, sanguinem eius vertit in florem, qui nunquam vento decuti dicitur arborem quoque myrtum, ex qua puer natus fuerat, tutelae suae adscripsit.

De Myrrha haec exhibet Ovidius met. X,298—739: Myrrha, Cinyrae filia, patrem amavit, cui vino ebrio nutrix puellam quandam cum eo coire velle dixit. Prima nocte cum filia a patre compressa abisset, sequentibus noctibus redeuntem pater videre cupiit. Deinde cum taedis allatis in filiam agnitam gladium strinxisset, filia fugam post longam in arborem mutata puerum, quo erat gravida, sub cortice retinuit. Natum tandem Naides educaverunt eique nomen dederunt

Adonidi. Qui cum a Venere amaretur, ab apro necatus est, sed ex sanguine natus flos quem venti excutiunt. Quibus rebus IA V, 72 et B X, 18 cum hac narratione consentiant, apponam: Myrrham Cinyram patrem amasse et per nutricem cum eo ebrio concubuisse. Lumine allato cum pater filiam gladio interfecturus esset, Myrrham fugisse et mutatam esse. Infantem ex cortice genitum a Naidibus educatum esse et, cum adolevisset, a Venere amatum ab apro interfectum esse. Contra quae insuper addita sunt, haec: B X, 18 ira Solis Myrrham incidisse in patris amorem, B X, 18 et A V, 72 arborem a patre gladio vel ab apro discissam puerum edidisse, B X, 18 Adonim ab Marte in aprum commutata, A V, 72 ab apro ira Martis misso interfectum esse, B X, 18 Adonim in rosam florem mutatum esse.

Ovidii Cinyram patrem legis apud Hyg. fab. 58 et apud antiquissimum testem Platonem comicum (apud Athenaeum X, 456), Myrrham filiam apud schol. Theocr. I, 107, per nutricem concubuisse filiam cum patre apud Hyg. fab. 58 et Anton. Lib. 34, patrem luminibus allatis gladio stricto filiam persecutum apud Theodorum (apud Ps. Plutarch. Parall. min. 22), Adonim ab apro interfectum habes antiquissimum testem Theocritum 30. Patrem ebrium solus Ovidius tradit excepto, qui postea vixit, Fulgentio myth. III, 8, idemque Adonim a Naidibus educatum esse. Itaque iterum ex Ovidio vel ex eius fonte, quem Greve de Adonide dissert. Lips. 1877 p. 8 Nicandri Heteroioumena esse docuit, concedis fluxisse in compendium. Quae non exstant apud Ovidium, ab patre arborem percussam edidisse Adonim, apud Fulg. myth. III, 8 invenis, interfectum esse ira Martis ab apro apud Tzetz. Lyc. 831, ab Marte in aprum converso apud eundem Tzetzem et schol. Theocr. III, 47, ex sanguine rosas ortas primum apud Bionem Id. I, 72 — id quod I minus accurate reddidisse censeo ipsum Adonim in rosam mutatum esse dicentem. Solis ira Myrrham incidisse in patris amorem et Adonim arbore matre percussa ab apro natum solus I exhibet.

Num Narcissi fabula Ovidiana (III, 339—510) in fonte a scholiastis adhibito exstiterit incertum est eodemque modo num SB II, 47 ad Ovidium respexerit. Sed vestigium Ovidii exstat apud BB II, 47 [1]), qui

1) Mirum in modum quaecunque scholia B ampliora exhibent reliquis scholiorum corporibus — quae quidem sensu cassa non sunt — omnia etiam in eis scriptoribus leguntur, qui aetatem tulerunt, cum e reliquis scholiastis unus alterve nonnulla tradat, quae etsi credi possint, tamen neque apud alium scholiastam

— quamquam filium Apollinis eum dicit — cum nymphas contemneret, Narcissum mutatum esse praebet. Tradit enim Ovidius Narcissum, Cephisi et Liriopes filium, cum ab Echo amaretur et se ipsum amaret, in florem croceum, cui est margo albus, mutatum esse. Plane aliam fabulam invenis apud PB II, 48, qui secundum Acusilaum — cuius nomen est coniectura restitutum — Narcissum, Amarynthi filium, Eretriensem ab Ellope quodam necatum esse tradit.

Usque ad id temporis, ut brevis essem, quae inter Ovidium et compendium similia essent aut ad Ovidium aut ad eius fontem redire dixi. Quaeritur nunc, quis sit ille fons. Atque plerumque, ubi cognovimus artiore astringi vinculo quos dixi, hic fons sylloge quaedam fabularum metamorphoseon intellegendus esse videtur, ex quo et qui compendium composuit et Ovidius hauserint. Ubi nisi in universum non congruunt et fabulae quibus consentiunt vulgares sunt, conicimus, quamquam haec quoque ex illa sylloge sumpta esse posse damus, tamen fieri posse, ut his locis nihil nisi eadem eiusdem fabulae forma apud utrumque nobis occurrat. Atque huic generi fabulas Ionis, Scyllae Nisi filiae, Procnes, Daphnes tribuo nec vero plane nego etiam alias hic poni posse.

Venio nunc ad sextam partem fabularum, quae plane aliae sunt atque eae, quae apud Ovidium de eadem re leguntur.

Ovidius met. XIII, 429—575 tradit, postquam Troia a Graecis capta sit, Polydorum a Polymestore, cui esset commissus, interfectum esse. Quem litori appulsum cum Hecuba agnovisset, Hecubam Polymestori oculos effodisse et Thraces persequentes fugientem in canem conversam esse. SA III, 6 cum cum initio congruat, tradit Hecubam in mare se proicientem in aliam formam abisse. Sed haec Hecubae fabula nihil nisi excerptum ex argumento Euripideae Hecubae esse videtur.

Met. XIV, 320—396 exstat Circen Picum, quem amaret, cum Canenti amatae se fidum praestitisset, in avem commutasse. Contra SA VII, 190 exhibet pro Canente Pomonam, quae nusquam alibi legitur; fortasse aliunde petita in compendio ascripta fuit et factum est, ut scholiasta Vergilianus eligeret nomen ab Ovidio abhorrens.

Vergilianum neque apud scriptorem, qui nostris manibus teritur, inveniuntur. Qua ex re fortasse concludes haec additamenta B in compendio non exstitisse sed a B aut ex ipsis scriptoribus aut ex aliis commentariis petita esse itaque ad compendium restituendum usurpari nequire.

Fortasse tamen tota narratio est ab Ovidio aliena aliundeque ab eo qui compendium composuit sumpta.

Cum Ovidius met. XIV, 456 tradat nonnullos socios Diomedis cum Veneri obstarent, Diomede vivo in aves mutatos esse, SA XI, 271 reddit post Diomedem mortuum hoc factum esse. Atque quoniam etiam Vergilius idem praebet atque Ovidius, exspectandum esse videtur hac re commotum scholiastam Ovidium sequi. Quomodo factum sit, ut aliter faceret scholiasta supra p. 13 demonstravi: scholiasta vulgarem fabulam secutus est. Vulgarem autem hanc fabulam fuisse, quae tamen a diversis diverso modo sit narrata, ex locis, quos collegit Hollandius Heroenvögel p. 12 sqq., intellegis. Qua dissertatione nisus duas vel tres narrationes in nostram quasi in unum corpus coaluisse demonstrabo. Primae, quam Hollandius Lyco assignat, attribuo *ἐρωδιούς*, et aves Graecos blandientes salutare, tertiae fugam barbarorum. Et quod exstat apud S *quod Diomedes ab Illyriis interemptus est*, puto conflatum ex tertia narratione in qua ab Illyriis Diomedis socii impetu petiti mutati esse dicebantur et ex secunda, quam Hollandius refert ad Timaeum, in qua Diomedes ab Dauno per insidias necatus esse ferebatur. Fortasse autem aliam rem ad explicandum advocare possumus. Nam Diomedem per vim interfectum esse iam antiquius est primusque testis est Mimnermus frg. 22 (cf. Holland. p. 21) = Tzetzes Lyc. 603 sqq. *ὕστερον δὲ ὁ Διομήδης πρὸς τοῦ Δαύνου ἀνῃρέθη*, ad quem fortasse etiam illa verba Tzetzis l. l. redeunt *οἱ δὲ φίλοι αὐτοῦ θρηνοῦντες αὐτὸν μετεβλήθησαν εἰς ὄρνεα* ... (= SA XI, 271 *post, ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant*). Quod si autem Tzetzes dicit *πρὸς τοὺ Δαύνου* cum scholiasta dicat *quod Diomedes ab Illyriis interemptus est*, fortasse in Illyriis latet illud Daunum origine Illyrium fuisse, de qua re cf. Wissowa apud Roscherum Lexic. mythol. I p. 964.

Extremo loco ponam eas fabulas, quae neque apud Ovidium neque alibi inveniuntur:

IA I, 394 de Aeto puero quodam famulo Iovis in aquilam commutato

IA I, 430 de apibus ex Melissae corpore ortis

IA I, 505 de Chelone in testudinem mutata

IB V, 48 de Carpo et Calamo (de qua confer Nonn. Dionys. XI, 370)

IB VII, 61 de Leuce in herbam mutata
IB VIII, 29 de Dione eiusque filiabus
IB VIII, 37 de Melo
IA IV, 402 de Myrmece femina in formicam conversa
IA II, 626 de Melia in arborem mutata
IA III, 23 de Myrene
SA I, 693 de Amaraco in plantam converso.

Ut breviter complectamur: fabularum metamorphoseon, quae in scholiis Vergilianis exstant et Ovidianis similes sunt, paucae certe ad eum ipsum referendae sunt, in compluribus num ex eo fluxerint dubium est. Quae quamquam similes sunt, tamen Ovidio non attribuendae sunt, aut ad eius fontem (id est syllogen metamorphoseon, quam et Ovidius et qui compendium composuit compilavit,) redeunt aut nulla intercedente fontis communione nihil nisi eandem eiusdem fabulae formam exhibent.

Index nominum.

Index locorum Vergilianorum et scholiorum.

Vergilius.

Scholia Bernensia B.

Scholia Interpolatoris I.

Scholia Probi P.

Scholium perditum.

Scholia Serviana S.

Scholia Veronensia V.

Index locorum ex aliis scriptoribus petitorum.

Addenda et corrigenda.

Pag. 6 l. 18 lege pro Vergili*a*m Vergili*u*m.
„ 9 l. 25 adde SA VI, 286.
l. 46 lege pro S*E* V, 10 S*B* V, 10.
in fine adde: de Coronide SA VII, 761.
de Myrene IA III, 23.
„ 10 l. 5 pro BB *IV*, 78 lege BB *VI*, 78.
„ 11 l. 6 pro tractat*a*m lege tractat*u*m.
„ 13 l. 14 pro i*n*vencae lege i*u*vencae.
„ 14 l. 6 pro fabula*o* fabula*e*
„ 15 l. 19 adde ad numerum versus: sq.
„ 16 l. 9 lege pro ex*t*aret ex*st*aret.
„ 22 l. 30 adde ad „Ovidius“: (met. I, 414 sq.).
„ 23 l. 28 adde ad „Ovidio“: (met. I, 567 sqq.).
„ 25 l. 34 adde ad P: B X, 62.
„ 26 l. 15 insere post „apud quem“: fab. 177.
„ 26 adnot. l. 3 post Hyginum insere: PA II, 1.
„ 27 l. 10 adde ad I: A IV, 469.
„ 30 l. 26 adde post „supra“: p. 12 sq.
„ 30 l. 32 lege pro r*o*vocatum r*e*vocatum.
„ 31 adnot. lege: Fleck. Jahrb. Suppl. XII p. 454 sqq.
„ 33 l. 5 lege pro *inc*riptione: *insc*riptione.
„ 34 l. 3 adde ad „Hyginum“ adnotationem: nam apud hunc fab. 271 legis Hyacinthum Oebali filium fuisse, cum Ovidius et Ausonius Oebaliden eum appellent, quod nomen certe intellegendum est Oebali filius.
„ 34 l. 26 ad P adde G I, 378.
„ 38 l. 33 ad Ovidium adde: met. VII, 661—862.
„ 48 l. 17 post „Ovidii“ insere: I, 216 sqq.
„ 48 l. 21 post I: B VI, 41.

Vita.

Gerae natus sum Alfredus Leuschke anno h. s. LXXII a. d. XVI. Kal. Iun. patre Oskario matre Anna e gente Metzneriorum, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Postquam Lubeccii, quo pater me infante transmigravit, litterarum rudimentis in Catharineo institutus puer octo annorum Geram cum parentibus reversus sum, novem annos natus inter discipulos receptus sum Gymnasii Ruthenei, cui iam quinque lustra praeest Albertus Grumme. Quod cum legitimo temporis spatio percurissem, a. h. s. XCI maturitatis q. d. testimonium adeptus ad litterarum universitatem Marpurgensem accessi, ut studiis philologicis operam navarem. Post duo semestria Lipsiam me contuli, unde annum in ea musarum sede versatus iterum Marpurgum petii. Tum Berolinum profectus unam tantum ibi hiemem peregi. Vere denique anni XCIV tertium Marpurgum redii, ubi tria semestria inter cives academicos numeratus sum.

Docuerunt me viri illustrissimi doctissimique Bergmann, Busse, Cohen, Natorp; Birt, Dieterich, Graf, Judeich, Maass, Leopoldus Schmidt (†), Guilelmus Schulze, de Sybel, Wissowa; Köster, Schröder, Vietor; Naudé, Niese, de Ropp, Wenck Marpurgenses; Ribbeck, Schreiber, Wachsmuth; Biedermann, de Bahder, Sievers Lipsienses; Diels, Kekulé; Dessoir, Ericus Schmidt; Franke; de Treitschke Berolinenses.

Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt philologicis Diels, epigraphicis et historicis Judeich, archaeologicis Schreiber, gothicis de Bahder. Proseminarii Marpurgensis philologici postquam per annum praesidibus L. Schmidtio et Wissowa socius fui, seminarii per ter senos menses sodalis ordinarius exstiti moderantibus Wissowa, Schulze, Birt, Maass, bis senos menses secretarius fui. Germanici autem seminarii, quod regit Koester, sodalis fui tria semestria, quod Schroeder, duo semestria.

Quibus viris doctissimis quantum debeam animo gratissimo semper reminiscar. Imprimis autem Georgium Wissowam benignissimum studiorum meorum fautorem pia memoria prosequi nunquam desistam.

Marburg. Universitäts-Buchdruckerei (R. Friedrich).